Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

W 235 B 33 ~~Elsev. A 95~~

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

2.

DE ECCLESIA ET BABYLONE

DISQUISITIO

JOHANNIS COCCEJI.

ACCEDUNT

Reſponſiones ad Quæſtiones de fundamento ſalutis motas.



LUGD. BATAV.
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,
Academ. Typograph.
CIↄ Iↄ C LVIII.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

LECTORI BENEVOLO,

Veritatis amatori, veritatem cogno-
ſcere & in ea ſalvari.

Superiori hieme miſſus eſt, benevole Lector, ad me Epiſtolio incluſus libellus Germanicus, cui titulus eſt, Chriſtliche wohlgemeinte erwegungen/waß da nun im newen Teſtament eigentlich heiſſen könne vnd genennet werden möge/ in Iſrael/vnd hingegen/auſſer Babel leben vnd ſterben. *h. e.* Chriſtianæ benevoli animi conſiderationes, quid nunc in Nov. Teſtamento propriè ſignificare poſſit & appellari queat, in Iſraële, & contra extra Babylonem vivere & mori. *Libellus is nomen Auctoris non præfert, ſed eum indigitat* perſonam divinæ veritatis amantem. *Argumentum libelli eſt, Romanam Eccleſiam non rectè Babylonem appellari; ſed eam veram Chriſti Eccleſiam eſſe; quique extra eam vivunt &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

moriuntur, ſalvari, ut ſchiſmaticos minimum, non poſſe. Stilus libelli eſt probè Germanicus, non inornatus; ſermo modeſtus & decens hominem bene nec plebejo more educatum: conſiderationes ipſæ arguunt magis perplexitatem quàm ſophiſticandi libidinem. Quanquam autem in eo libello ego non ſim laceſſitus nec ulla pars ſcriptorum meorum ſit tacta; ut quaſi antagoniſtæ alicui reſpondere opus mihi fuerit (quod genus ſcriptionis ipſe alioqui abhorreo) tamen ut aliquid de Eccleſia *&* Babylone *in chartam conjicerem, movit me* Epiſtola*, cum qua is libellus ad me miſſus eſt.* Nam *ea amorem mei & ſalutis meæ præfert.* Ego *verò me puto amorem debere non tantùm amanti me, ſed etiam perſequenti me. quanto magis honoranti.* Nam *planè mihi perſuadeo, eum, qui eum librum ad me miſit aut mitti juſsit, de me ita judicaſſe, ſi tales rationes in eo continerentur, quæ me convincerent atque conſtringerent, me veritati daturũ locum;*

ſin,

ſin, me non defuturum meis partibus, ſed diligenter eum, à quo ſcriptum prodiit, conaturũ informare ex Scripturis, quid de Iſraële ſive Eccleſia & Babylone ea doceat, & quare ad Romanam Eccleſiam à Reformata non diſcedam. Quod judicium mihi honorificum puto. Atque ideò etiam, quàm primum potui, quanquam in alio opere majoris moleſtiæ occupatus, de Eccleſia & Babylone commentatiunculam hanc conſignavi. In ea operam dedi, ne quis juſtam cauſam haberet accuſandæ obſcuritatis: niſi is, qui nollet cum aliqua attentione legere. Vivimus enim eo ſeculo, quo plurimi dicunt, Non poſſum legere, quia liber obſignatus eſt. Eſ. 29:11. Non vacat enim ſigilla avellere & aperire, h. e. paullum attendere & per prima ſecunda, per hæc tertia ordine exponere. Imprimis phraſis ſpiritus ſancti facta eſt hominibus barbara. Eſ. 28:11. Et putant, hoc, quod homines loquuntur, eſſe ſapientius διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου λόγοις. Neque

putant, ea, quæ à ſpiritu ſancto dicta ſunt, ita poſſe comparari inter ſe, ut quæ eadẽ, quæ diverſa, quæ connexa ſint, videre, atque ita mentem Chriſti percipere poßimus. Igitur egimus per interrogationes & reſponſiones, & quaſi per duorum ſermocinationem. Interroganti tribuimus ea, quæ videntur poſſe dici ex parte Romana; ſaltem quæ libellus prædictus mihi viſus eſt proferre digna reſponſione. Nonnunquam tamen iidem attribui approbationem & confirmationem & ſummariam collectionem eorum, quæ inveſtigatio concludebat. Reſpondenti dedi eas partes, ut duceret interrogantem ad veræ Eccleſiæ & Babylonis cognitionem. Abſtinui ab omni gravi verbo: niſi quòd nudè cum Scripturis, quid intereſſet inter fidem Dei & voluntatem quippiam dicendi cum hominibus, explicavi. Quod ſi quis eſt, cui hæc non ſatisfaciunt, aut cui videtur, me aliquid extra Scripturam dixiſſe, eum oro per miſerationes Ieſu Chriſti, ut me ita doceat de errore meo,

ut

ut ſe à me doceri voluiſſet, ſine acerbitate & odio. Tempus enim mihi hoc videtur eſſe, ut tandem oculos aperiamus, & regnum Chriſti cognoſcamus, & Chriſto regi nos ſubmittamus, & cum ſpiritu lenitatis aberrantes ſceptris ejus ſubjiciamus. Certum eſt enim, Chriſtum debere regnare, & debere Euangelium regni prædicari per totum orbem: & habere ſceptrum ferreum, quo, qui veritatem & juſtitiam remorantur, confringat. Quod ſi non timemus, timeamus ſaltem, ne, ſi noluerimus arcem Dei apprehendere & pacem cum ipſo facere, & ſuavitatibus domus Dei expleri, corpus & animam noſtram projiciat in gehennam. Quæ ſcripta ſunt, non fruſtra ſcripta ſunt; &, qui hactenus non ſivit ullum verbum cadere in terram, is in colophone non patietur veritatem ſuam deſiderari. Interim meum hoc votum eſt, quod præſcribit Pſal. 14.
Utinam veniat ex Tſijone ſalus Iſraëlis! Quum reſtituet Deus captivitatem *ſive jacturas* populi ſui,

Eccle-

Eccleſiæ ſuæ, gaudebit Iacob, lætabitur Iſraël. *Lugduni d. 8. Maji 1658.*

Venerabili ac ſpectabili Domino D. Johanni Coccejo Lugdunenſis apud Batavos Univerſitatis Theologo Doctiſſimo, Domino amicoque plurimum obſervando. Leiden in Holland.

EMMANUEL.

Venerabilis Domine

En libellum ab amante veſtræ ſalutis ingenio manuque. Si ex ipſa non agnoſcat fronte evoluat atque ipſum fortaſſis ex quo manat fontem deprahendet, cauſaſque cur autor latere maluerit atque occultus etiam impendere beneficium, utatur ad ſalutem, à non ignoto venit homine tam cupido tuæ ſalutis, ut pro te quoque Deum obnixe depræcetur. Hoc à te viciſſim orat, ut pro tuo ingenio ames atque amplectaris veritatem. Vale & labore oblato fruere.

Anno 1657. 15. Dec. ex Germania inferiore.

Ven. D^no^. addictiſſ.

Jo. SAMSEIUS Selandus.

DE

DE ECCLESIA ET BABYLONE.

Qua mente dicis in confeſſione fidei, Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam? Reſp. Quòd credam Deo teſtanti in Verbo ſuo, ſe dediſſe Filio ſuo populum redimendum & ſanctificandum ex omnibus gentibus; eumque populum fore uſque ad finem mundi; & eum per fidem habere cor purificatum & in ſanguine Chriſti eſſe juſtificatum; neque eum eſſe aſtrictum certæ genti aut nationi, ſed liberum eſſe ab illis principibus & legibus, quibus populus Iſraëliticus ſubditus fuit: & eos, quorum corda fide purificata ſunt, ad eum populum pertinere.

Quod igitur eſt principium cognoſcendi,

di, quòd Eccleſia ſit, & porrò futura ſit; & quid ea ſit? Reſp. Verbum Dei. Quia fides fertur in Verbum Dei. Auguſtinus in epiſtola contra Petiliani epiſtol. cap. 2. *Inter nos & Donatiſtas quæſtio eſt, ubi ſit Eccleſia? Quid ergo facturi ſumus? In verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis capitis ſui, domini noſtri Ieſu Chriſti? Puto, quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt & optimè novit corpus ſuum.* cap. 3. *Sed, ut dicere cæperam, non audiamus, hæc dico, hæc dicis; ſed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certe libri dominici, quorum authoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus. ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. -- nolo humanis documentis, ſed divinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari.* & de unitate Eccleſiæ. c. 16. *Vtrum ipſi Eccleſiam teneant, non niſi divinarum ſcripturarum canonicis libris oſtendant.* & paulò ante, *Habere caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia: quam ſicut caput in ſcripturis ſanctis canonicis debemus agnoſcere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus & factis & dictis & viſis inquirere.* Qualia & præcedenti columna extant.

Annon

Annon hoc verbum eſt apud Eccleſiam? Reſp. Utique. Nam ſine hoc verbo Eccleſia eſſe non poteſt: quippe ſine fide non eſt Eccleſia, neque ſancta eſt, neque Eccleſia Dei ſive populus Dei eſt. Fides autem eſt verbi Dei. Et hoc ſenſu promiſſio, quæ eſt Eſ. 59:21. *Verbum meum, quod poſui in ore tuo, non recedet ab ore tuo*, &c. pertinet ad omne tempus, quo Eccleſia eſt in mundo.

Annon Eccleſiæ eſt judicare, quodnam ſit verbum Dei? Reſp. Etiam. imò etiam divinitatem ejus oſtendere & probare illis, qui id necdum pro verbo Dei habent.

Numquid igitur non medium primò cognitum ad cognoſcendum, quid ſit Eccleſia, & motivum primò cognitum ac primò movens ad credendum, quòd ſit Eccleſia, eſt ipſa Eccleſia, quæ habet verbum Dei teſtans de Eccleſia? Reſp. Nequaquam. Quia contradictoria ſunt hæc duo: Per fidem verbi Dei ſolam & per revelationem, ut primò notum medium ac motivum, teneri, quid ſit Eccleſia, & quòd ea ſit in mundo, & quænam ea ſit; & nihilominus tamen ante fidem verbi & non demum propter revelationem teneri, eſſe Eccleſiam, & quid ea ſit, & quæ illa ſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

An igitur Eccleſia non cognoſcitur ullo modo ante verbum Dei, quod illa habet? Reſp. Sunt quædam in Eccleſia, per quæ ea fit mirabilis in mundo: quemadmodum Chriſtus dicit de ſe & pueris, ſibi à Deo datis, Eſ. 8: 18. *Ecce ego & pueri, quos mihi dedit Dominus, in ſigna & prodigia* ſumus *in Iſraële*, idque *à Domino exercituum, qui habitat in Tſijon.* Si *in Iſraële* Chriſtus *& pueri, qui ipſi dati ſunt, pro ſignis & prodigiis* ſunt, quantò magis in mundo? Fateor, hoc dictum eſt à Propheta reſpectu illius temporis, quo Chriſtus in medio Iſraëlis ſecundùm carnem cum diſcipulis & ovibus ſuis egit, & eos in medio ejus agere voluit. Concedendum tamen eſt, in iis, propter quæ Chriſtus & diſcipuli ejus facti ſunt ſigna & prodigia in Iſraële, eſſe aliquid, quod Eccleſia à Chriſto accepit & ſemper habet; verbi cauſa verbum Euangelii: & Dei regimen circa Eccleſiam, quod in prophetiis deſcriptum eſt, mirabile eſſe, & ſic Eccleſiam mirabilem in mundo facere. Talia igitur poſſunt mundum percellere aut ei ſtuporem aliumve affectum ingerere; ſed, ut quis credat, eſſe Eccleſiam & hoc eſſe Eccleſiam, quod eſt, aut hunc eſſe aut in charitate judicari poſſe eſſe Eccleſiæ mem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

membrum, id in nullo efficitur niſi per fidem revelationis & illius verbi, quod divinum eſt, & in ore Eccleſiæ eſt, animadverſam in conſcientia divinitatem; atque adeò non priùs Eccleſia amatur ut Eccleſia Dei, quàm ametur veritas verbi, quod eſt apud Eccleſiam. Aliud igitur eſt apparere, ut mirabilem; aliud cognoſci & amari ut Eccleſiam Dei. quod non fit niſi per fidem verbi.

Quomodo igitur divinitas verbi cognoſcitur, ſi non per auctoritatem Eccleſiæ? Videtur enim impoſſibile eſſe, ut unuſquiſque ſervandorum intelligat, Scripturam eſſe divinitus inſpiratam, & hos, non alios, eſſe libros Scripturæ divinitus inſpiratæ? Reſp. 1. Si non eſt impoſſibile ex Scripturis ipſis, narrantibus modum traditionis ſaltem principalium partium (nempe legis Moſis; & deinde librorum Euangelium continentium) cognoſcere, quibus modis, cum quam manifeſtis argumentis divinæ traditionis, quibus teſtibus eæ Scripturæ partes traditæ ſint; & quod illæ circumſtantiæ non potuerint fingi; neque adeò ullus potuerit prodire quantumvis ingenioſus fabulator, qui perſuaderet, illa ſic dicta ac facta ſcripta & in ſcriptis tradita eſſe tot teſtibus, & ab illis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ipſis teſtibus porrò cum audita tum ſcripta eſſe narrata ac tradita ipſorum filiis, cum obſervantia publica & perpetua legum, rituum, monimentorumque; ſi ea non eo modo dicta, facta, tradita, ſcripta, narrata, obſervata ſint: ſi, inquam, non impoſſibile eſt id ex Scripturis ipſis cognoſcere; & præterea, Deum in iiſdem dixiſſe, hoc verbum ſuum non interiturum: facile utique eſt unicuique ſcire, aut potiùs credere, quòd hæc Scriptura ſic tradita per Dei providentiam ad noſtras manus ſine vitio, quod ſaluti obſit, pervenerit. 2. Si non eſt impoſſibile audire doctrinæ Chriſtianæ ſummam & præcipuè eam veritatem, quæ eſt *fundamentum*; & certò cognoſcere, eam veritatem in omnibus populis linguiſque eodem modo ex Scriptura proferri; ſique Deo non eſt impoſſibile per id verbum auditorem convertere, ſive audienti cor aperire & amorem Dei & gloriæ ejus atque omnis veri ac boni cognoſcendi & faciendi deſiderium inſtillare: utique non eſt impoſſibile credere, quòd hoc ſit fundamentum; quòdque is, qui ei inædificatus eſt, ſit hæres vitæ æternæ; quodque Scriptura id *fundamentum* continens & in auditore hunc amorem Dei ſecundum promiſſio-

nem ejus operans ſit divina. Hæc autem non eſſe impoſſibilia, vel ex eo clarè conſtat; quòd etiam ii, qui Eccleſiæ *primam quoad nos auctoritatem* attribuunt, ſtatuunt, non eſſe impoſſibile, imò omnibus ſalvandis neceſſarium eſſe, ut, quæ ſint Eccleſiæ initia & profectus, quæ ſucceſſio Epiſcoporum quorundam, quid ea teſtetur de verbo Dei, quid doceat, quid tradat neceſſarium eſſe creditu & factu, & in quibus non oporteat contradicere, vel ſaltem à contradicentibus ſe oporteat ſeparare, cognoſcant & percipiant. Nam, ſi Eccleſia hæc tradit, tradit præcipuè ea, quæ modò dicebamus non eſſe impoſſibilia cognitu, & legit ex Scripturis hiſtoriam traditionis ejus & fundamentum doctrinæ & promiſſionis de Eccleſia & verbo Dei apud eam perſeverante: cætera autem etiam mirum in modum augent numerum credendorum, & incertiora per ſe ſunt, & cognitu, ſi non planè impoſſibilia, tamen difficiliora.

Vnde dicitur Eccleſia? Reſp. Duplex illius nominis ratio eſt. 1. Quòd ſe habet ad Deum, quemadmodum ſe habet populus in comitium congregatus coram rege ſuo. Nam vox ἐκκλησία reſpondet Hebræo קָהָל. ut liquet ex Actor. 7: 38.

ubi ἐκκλησία dicitur illa ſolennis totius populi coram Deo apparitio apud montem Sinai. quem diem Moſes appellat יום הקהל ἡμέραν τῆς ἐκκλησίας, Deut. 18: 16. Hinc dicitur ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος *Eccleſia Dei vivi*, quia nullum alium habet, ad quem accedat, quàm Deum vivum. 1 Tim. 3: 15. 2. Quòd eſt multitudo τῶν κλητῶν *vocatorum*; unde & κλῆσις *vocatio* appellatur 1 Cor. 1: 26. collato ℣. 2. 9. 18. 24.

Quid eſt Eccleſia? Reſp. Ex Scripturis poſſunt ſumi hæ deſcriptiones. *Multitudo vocatorum* (ex Judæis & gentibus Rom. 9: 24.) *& electorum & fidelium*. Apocal. 17: 14. Sunt quidam *vocati & non electi*, Matth. 20: 16. 22: 14. ab iis diſcriminat eos, qui *cum Chriſto* ſunt, eo, quòd ſint *vocati & electi*, h. e. *ex propoſito vocati*, Rom. 8: 28. *& fideles*. *Vocatus* enim vel ſignificat tantùm eum, qui audivit invitationem; vel eum, qui etiam videtur eſſe adductus; vel eum, qui revera per verbum Dei & *vocationem* æterni propoſiti ac potentiæ ſpiritus Dei adductus eſt, & ſic in Chriſto eſt, nempe per fidem. Eſt enim triplex *vocatio*, 1. invitationis per verbum. 2. electionis. 3. regenerationis per donum fidei. Triplicis

voca-

vocationis cumulatione Eccleſiam à tantùm invitatis, & à tantùm ad ſuſcipiendum & profitendum nomen Chriſti adductis diſtinguit. Et quis dubitat, quin Scriptura, quando dicit *cœtum juſtorum* Pſalm. 1:5. *gentem & populum juſtorum*. Eſ. 26: 2. 60: 21. Eccleſiam intelligat: quum Apoſtoli *fideles, ſanctos, vocatos* dicant, quum ad Eccleſias ſcribunt: ut Paulus, vel, ut Petrus 1 ep. 1:1. 2. *electos* h. e. à pereuntibus ſeparatos & aſſumtos, *ſecundùm praagnitionem Dei. per ſanctificationem ſpiritus ad obedientiam* (quæ eſt credere Euangelio, Rom. 1:5.) *& ſic ad aſperſionem ſanguinis Chriſti?* Petrus verò, quum dicit, vos eſtis *genus electum, gens ſancta, populus ad peculii conſervationem*, privilegia Eccleſiæ ediſſerit, 1 ep. 2:9.

Numquid non etiam multitudo profitentium nomen Chriſti appellatur Eccleſia? R. Non omnis multitudo profitentium nomen Chriſti nominatur Eccleſia: ſed tantùm ea, in qua poſſunt contineri fideles & ſancti. Eccleſiæ fidelium eſt propriè ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν *nominare nomen Domini noſtri*, 1 Cor. 1:2. quia & illius eſt *ſalvari*. Rom. 10:13 *Omnis, qui nominaverit nomen Domini*, non tantùm

ore, ſed & corde, in bona conſcientia, *ſalvabitur.* Sed multi nominant Chriſtum *non verè, ſed obtentu*, Philip.1:16.18. Ea multitudo profitentium nomen Chriſti, in qua ſunt, qui Chriſtum nominant & annunciant *obtentu*, ſi ita loquantur, ut fideles cum illis miſceri poſſint, nominatur *Eccleſia*, partim κατὰ δόξαν ſive quia ita ſe nominat illa multitudo; partim κατὰ συνεκδοχὴν, quia Eccleſiam juſtorum continet; partim κατὰ τὴν ὀφειλομένην ἀγάπην, quia eam multitudinem, quæ ſic nominat Chriſtum, ut in ea Eccleſia h. e. fideles contineri poſſint, tenemur diligere, ut Eccleſiam, & cum ea poſſumus communicare, ut cum multitudine fratrum.

In quo ſenſu capitur vox Eccleſia, *quando dicitur* inædificari in petra, portas inferni ei non prævalituras, eſſe domum Dei, Eccleſiam Dei vivi, *&c?* Reſp. Talia elogia non admittunt aliam acceptionem hujus vocis, præter propriam. Prædicata indicant ſua ſubjecta. Nam *ædificatum eſſe in petra* ſignificat credere in petram & cum petra habere communionem, & in ea habere firmitudinem ad ſalutem per ipſius gratiam, meritum, poteſtatem & potentiam. Sic, à *portis inferni non ſuperari* eſt non manere in morte,

non

non venire in judicium, non ſeduci & abduci à Chriſto, non manere ſub ſceptro & poteſtate improborum. Vide Joh. 11: 25. 26. Matth. 24: 24. 1 Pet. 1: 5. Pſalm. 125: 3. *Non requieſcet ſceptrum improbitatis ſuper ſorte juſtorum, ne mittant juſti ad injuſtitiam manum ſuam. Domus Dei* vocatur, quia Deus in ea habitat, & ſibi eam ornat, in ea ſuum opus operatur, & in ea cognoſci, & fidelibus, tanquam filiis familias, ἐμφανίζεσθαι atque ſe oſtendere vult; quemadmodum paterfamilias in domo ſua: quin etiam, quia eam habet pro peculio ſuo, & vendicat ſibi, quemadmodum paterfamiliâs domum ſuam: neque patitur eam alienari, vel ſe ex ea rejici, neque alii tradit arbitrium ejus regendæ. *Eccleſia Dei vivi* dicitur, κατ' ἐξοχὴν, Eccleſia Novi Teſtamenti, quia eſt populus videns & audiens Deum ſuum velut in comitio, quia & lex fœderis publicè ab illa auditur, ὡς λόγος θεοῦ *ut ſermo Dei*, & in Euangelio Chriſtus tanquam ob oculos ponitur, & lex fidei cordibus à Deo inſcribitur, & ſpiritui illorum teſtatur ſpiritus Dei, quod ſint filii Dei: & *deos nuncupativos* non amplius agnoſcit, 1 Cor. 8: 5. 6. qui jam *mortui ſunt & ceciderunt*. Pſalm. 82: 7. 1 Cor. 2: 6. Auguſtinus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ſtinus de baptiſmo contra Donatiſtas lib. 3. c. 18. *Petra tenet, petra dimittit; columba tenet, columba dimittit; unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in ſolis bonis eſt, vel etiam ſpiritalibus vel ad ſpiritalia concordi obedientia proficientibus: in malis autem non eſt, ſive foris tumultuentur, ſive intus cum gemitu tolerentur, & baptizent & baptizentur.* & c. 19. *Hujus autem fraternæ charitatis inimici, ſive apertè foris ſint, ſive intus eſſe videantur, Pſeudochriſtiani ſunt & Antichriſti. Inventis enim occaſionibus, foras exeunt. Sed etiamſi occaſiones deſint, cum intus videntur, ab illa inviſibili charitatis compage ſeparati ſunt.* lib. 5. c. 16. *Primatus non eſt, niſi in ſancta converſatione & vita bona, quo pertinent omnes, ex quibus tanquam membris conſtat illa ſponſa ... & illa columba.* lib. 6. c. 24. *nonne illi ſunt in Eccleſia, qui ſunt in petra? Qui autem in petra non ſunt, nec in Eccleſia ſunt. --- Si ergo in petra eſt Eccleſia, illi, qui ſuper arenam ſunt, quia extra petram ſunt, profectò extra Eccleſiam ſunt.* Similia cap. 29. & 31. *Si Chriſtiani ſunt, cur in illa petra non ſunt, in qua ædificatur Eccleſia? Audiunt enim verba Chriſti & non faciunt.* & c. 40.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Scripturæ multis locis oſtenderunt, alienos eſſe ab Eccleſia omnes, qui non ſunt in petra, nec ad columbæ illius membra pertinent, & tamen baptizare & baptizari & habere ſine ſalute ſacramentum ſalutis. lib. 7. c. 43. *Sed à petra foris ſunt, cui claves Dominus dedit, ubi ſe ædificaturum Eccleſiam dixit.* Hîc per *Petram* intelligit Petrum, ſed ut *typum unitatis*, lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſt. c. 17. *Quod in typo unitatis Petro Dominus dedit poteſtatem ut id ſolveretur in terris, quod ille ſolviſſet, manifeſtum eſt, quod illa unitas etiam columba perfecta ſit dicta. Petri formam cunctis Eccleſiæ rectoribus propoſitam* etiam Papa Leo I. dicit. Quanquam non propriè in Petro inædificamur; (Nam &, Petrus ut inædificaretur, neceſſe erat) tamen neceſſariò Petro coædificamur: &, ut, qui Abrahamum benedicit, benedictus eſt; & contra, qui ei maledicit, maledictus eſt, Geneſ. 12:3. ita, quem Petrus & unitas illa, quæ Petro coædificata eſt, benedicit & ſolvit, ſolutus eſt; quem ligat, ligatus eſt. Nam &, Abrahamum qui diligit & ei benedicit, glorificat Deum; &, qui ei maledicit, Deo maledicit: &, quem Petrus atque unitas conſolatur, aut ligat, ita ut con-

conſcientia ei, qui ſolvitur, aut ligatur, teſtetur, ad ipſum pertinere alterutrum, is ſolutus eſt & ligatus; (Pſ. 37:22.) quia verbum illud Chriſti eſt: cui data eſt poteſtas omnis in cœlo & in terra. Primaſius in Apoc. l. 5. c. 20. ad c. 21. 15. *Ipſa eſt civitas, quam ſuper montem ædificatam, id eſt, ſuper ſe fundatam, in Euangelio Dominus proteſtatur. Ob hoc & Petro, qui figuram totius geſtabat Eccleſiæ, dicit, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: ac ſi diceret, ſuper me ædificabo te. Petra enim erat Chriſtus. Sicut ergo à petra Petrus, ſic à Chriſto Chriſtianus. docens utique fugienda humani erroris inventa, & ſola Divinæ veritatis monumenta ſectanda.* Patiuntur etiam verba Chriſti hunc ſenſum. Quòd te *Petrum* dixi, qui confeſſus es, me eſſe filium Dei, id firmum fundamentum eſt, & petra ſtabilis, in qua fundabo Eccleſiam meam. Quiſquis me confitetur *Filium Dei vivi*, is eſt Petrus; is habet petram, & æternam ſalutem in petra. Auguſtinus eodem lib. 7. de baptiſm. cont. Donatiſtas c. 44. *Tranſlati ad petram & columbæ ſociati accipiant remiſſionem peccatorum, quam habere non poterant extra petram & extra columbam, ſive apertè foris, ſicut hæretici,*

ſive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

*ſive tanquam intus, ſicut perditi Catholi-
ci.* c. 49. ex Cypriani epiſtola ad Magnum.
*In Eccleſia Chriſti nonniſi concordes atque
unanimes habitant.* cap. 50. *Quibus omni-
bus conſideratis, puto me non temere dice-
re, alios ita eſſe in domo Dei, ut ipſi etiam
ſint eadem domus Dei, quæ dicitur ædifica-
ri ſuper petram, quæ unica columba appel-
latur, --- quæ Domus etiam claves accepit
ac poteſtatem ſolvendi & ligandi. Hanc
Domum, ſiquis corripientem corrigentem-
que contemſerit, ſit tibi, inquit, tanquam
ethnicus & publicanus. De hac domo di-
citur, Domine dilexi decorem domus tuæ,*
&c. --- *Hæc domus etiam triticum dici-
tur --- fructum afferens in tolerantia.
Hæc domus eſt in vaſis aureis,* &c. (intelli-
git vaſa ad honorem. Vide retractatio-
nes) *Huic domui dicitur, ſufferentes invi-
cem in dilectione, ſtudentes ſervare unita-
tem ſpiritus in vinculo pacis. Et, templum
enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Hæc
quippe in bonis fidelibus eſt & ſanctis Dei
ſervis utique diſperſis & ſpiritali unitate
devinctis eadem communione ſacramento-
rum, ſive ſe de facie noverint, ſive non no-
verint. Alios autem ita dici conſtat in
domo, ut non pertineant ad compagem do-
mus, nec ad ſocietatem fructiferæ pacifi-
caque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

cæque juſtitiæ, ſed ſicut eſſe palea dicitur in frumentis, &c. *Ex hoc numero innumerabili non ſolùm turba intus premens cor paucorum in tanta multitudinis comparatione ſanctorum, ſed etiam diruptis retibus hæreſes & ſchiſmata exiſtunt,* &c. c. 52. --- *qui ſic ſunt in domo Dei, ut ipſi ſint domus Dei, ſive jam ſpiritales ſint, ſive adhuc parvuli lacte nutriantur, ſed tamen ad ſpiritalem habitum intento corde proficiant.* de unitate Eccleſ. c. 19. *Ecce iterum frumenta ejus: Ut ſcias, inquit Apoſtolus, quemadmodum te oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. & ſine dubio,* &c. *Ecce purgamenta ejus: Spiritus autem, inquit, manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus ſeductoribus doctriniſque dæmoniorum,* &c.

Quandoquidem Eccleſia eſt populus electorum, *numquid omnes electi pertinent ad Eccleſiam?* R. Deſtinatione quidem, & datione Teſtamenti, quo ſcripti ſunt hæreditas Chriſti; & poſtulatione Redemtoris: ſed, uſque dum regenerentur per ſanctificationem Spiritus ad fidem veritatis, ſunt extra Chriſtum, & ſub ira, h. e. in eo ſtatu, in quo ſi maneant, ſervari non poſſunt.

poſſunt. *Vocatio* autem *electionis* (Rom. 9:11. 4:17.) facit, ut in illo ſtatu non maneant, ſed per verbum invitationis & potentiam Spiritus *vocentur* ſive adducantur, ut ſint in Chriſto. 1 Cor. 1: 9. 30.

Numquid, quemadmodum electi *poſſunt extra Eccleſiam reperiri, etiam* fideles *extra eam eſſe poſſunt?* Reſp. *Fideles* vocamus, qui tenent *principium*, quod eſt verbum Dei; & *fundamentum* (quod eſt Jeſus Chriſtus & quidem crucifixus) h. e. qui amant veritatem illam fundamentalem, in qua omnis ſalutaris veritas & vera ſapientia continetur, ita ut eſuriant & ſitiant juſtitiam, & Chriſtum ſtudeant diligere, quemadmodum dignum eſt tanto Servatore & tanta ſalute, ut reperiantur in ipſo habentes juſtitiam non ſuam, ſed Dei, ſive eam, quæ ex Deo eſt, ad gloriam ipſius. In quo ſtudio etiam deſiderium proficiendi in cognitione Dei & Chriſti, & præparatio animi ad credendum omnia, quæ à Deo revelata ſunt, continetur. Qui hanc fidem habent, eos credimus habere ſpiritum Chriſti, & in Chriſto eſſe, & ad corpus ipſius pertinere: neque neceſſe eſſe, ut illi norint fraternitatem omnium locorum vel temporum. Quemadmodum tempore Eliæ

ſeptem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ſeptem millia in Iſraële, quæ non flexerant genua ſua Bahali, fuerunt populus Dei, etiamſi Elias illos non noſſet, & plerique ipſorum ſe invicem non cognoſcerent.

Ergo ſufficit, ut unuſquiſque pro ſe credat; neque opus eſt, ut curet congregari cum aliis fidelibus. Reſp. Minimè verò. Nam, qui credit eſſe Eccleſiam, credit etiam, eſſe communionem ſanctorum. h. e. 1. credit, Deum varia dona corpori ſuo diſtribuiſſe, ideoque voluiſſe, ut unus alio indigeret: quemadmodum oculus non poteſt dicere auri, non indigeo te; neque manus pedi, neq; pes capiti. Quare, qui cupit in Chriſto adoleſcere, is etiam ſe applicat ad fideles, ut per illos ad Chriſti cognitionem & dilectionem proficiat. 2. Credit, Deum ſua dona ſic diſtribuere, neque omnia dare omnibus, ut noſtra dona impendamus aliis, ut villici fideles, ut lucrifaciat per nos Dominus noſtèr, ut ita in pluribus gratiæ ipſi agantur. 3. Credit, deberi fratribus charitatem. Nam, qui genitus eſt ex Deo, amat eum, qui eum genuit; & qui eum, qui genuit, amat, amat eum, qui ex ipſo genitus eſt. 1 Joh. 3: 1. Jam, qui credit, fratribus deberi charitatem, quærit, quos

diligat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

diligat, & quibus proſit, quique ſaltem lætentur ipſius fide & ſalute. 4. Credit, Chriſto promiſſam eſſe hæreditatem; & eam eſſe hæreditatem illorum, qui diligunt ipſum, ſeque adeò eſſe factos reges à Chriſto: &, ut Abrahamo, ita fidelibus promiſſum eſſe ſemen, quod in ipſis ſive cum ipſis benedicatur. Quod qui credit, non poteſt non velle gignere filios Dei & cernere hæreditatem Chriſti ac ſuam eamque locupletare. 5. Quum non poſſit homo vivens in ſeculo agere ſine aliis hominibus, vel communicabit cum peccatoribus irregenitis, & cogetur illos redarguere, ne communicet cum peccatis ipſorum, ſaltem cum illis non lætari, ut cum fratribus: vel communicabit cum fidelibus & cum illis lætabitur in Domino. Quare ipſa ἀντιπερίστασις mundi fideles conjungit & copulat. Quis enim non quærat amicos & ſocios, quibus poſſit συμπαρακληθῆναι? Auguſtinus de unitate Eccleſ. c. 4. *Totus Chriſtus caput & corpus eſt. Caput unigenitus Dei filius & corpus ejus Eccleſia, ſponſus & ſponſa, duo in carne una. Quicunque de ipſo capite ab Scripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inveniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

rurſus quicunque de ipſo capite Scripturis ſanctis conſentiunt, & unitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt.

Miror, te non dicere, quòd neceſſe ſit accedere ad Eccleſiam, ut ex illius ore & ſententia agnoſcas verbum Dei, &, quid credendum ſit, accipias? Reſp. Si verbum Dei, quod in manu Eccleſiæ eſt, & propter Eccleſiam in manu etiam illorum eſt, qui propriè ad Eccleſiam non pertinent, imò auditur & legitur in toto mundo, non agnoſcerem pro verbo Dei, &, ſecundùm illud crederem, eſſe Eccleſiam talem, qualis in verbo Dei deſignata eſt, non quærerem, non adirem Eccleſiam, neque illam omninò cognoſcerem; quia etiam, illam eſſe, non crederem.

Atqui hîc recedis ab Auguſtino, qui dicit: Ego verò Euangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me commoveret auctoritas. Reſp. Calumnia eſt, verba alicujus contra mentem & contra intentionem ejus, claris verbis explicatam, interpretari. Auguſtinus, de Scripturarum integritate & de nova Scriptura Manichæi diſputans, oſtendit, ſe ſimul & Eccleſiam & doctrinam Eccleſiæ & Scripturam & neu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tram ſine altera cognoviſſe. Attribuit Scripturis & doctrinæ ex illis traditæ *ſinceriſſimam ſapientiam*: Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti *excellentiam Canonicæ autoritatis*, *Canonicam eminentiam*: fatetur *gentes per eos libros* adductas eſſe, *ut crederent*. qualia multa colligimus in libro de *Potentia Scripturæ* cap. 5. Quomodo igitur Auguſtinus diceret, auctoritatem Eccleſiæ apud ſe priorem eſſe auctoritate Scripturarum? quum ejus verba nihil aliud portendant, quàm, ſi Eccleſia non exſtitiſſet, ſe *neſciturum fuiſſe, aliquid diſcendum eſſe*. Ad Honorat. c. XIV. Quia enim Scriptura debuit eſſe credendi medium, & ea atque fides in ea tradita debuit prædicari, atque ita debuerunt per eam gentes converti; idque ipſa Scriptura teſtata eſt: ſi nulli eſſent prædicantes eam doctrinam atque eas Scripturas, vel ipſa Scriptura non potuiſſet haberi, vel ei dicenti, quòd Eccleſia per ipſam ſit colligenda, credi non potuiſſet. Quia verò omnium gentium homines teſtantur, ſe audiviſſe, quòd Scriptura ita tradita ſit, ita recepta, ita vulgata ſit, cum conſpirante doctrina, quemadmodum in ea ſcriptum eſt traditam eſſe, & Euangelium prædicatum iri;

neque

neque potuerunt ea fingi, quæ ſcripta ſunt, ut tot haberent teſtes: quis ſupereſt color, propter quem credam, nunc Scripturas eſſe interminiandas & interpolandas, quemadmodum Manichæi faciebant. Sed de eo ſatis & alii & nos in dicto loco. Nempe Auguſtinus cognitionem Euangelii & Eccleſiæ conjungit, &negat, ſe abſque Eccleſia Euangelium ſic traditum habente & conſtanter prædicante (in quo Autoritas Eccleſiæ ſita eſt) Euangelium ſive Scripturam, ut eminentiſſima auctoritate præditam, cognoſcere potuiſſe aut recipere: ſepoſitâ, quod expreſſis verbis teſtatur, *ſinceriſſima ſapientia*, quæ in Scripturis continetur, & ex ea in Eccleſia traditur. Quomodo & nobis licebit loqui. Non crederemus Scripturæ, ſi nos non conſtringeret credentium & veritatem prædicantium (ut veritatem prædicantium) auctoritas; &, ſi, tot ſeculis jam elapſis, nihil illorum eveniſſet, quæ de prædicatione fidei in mundo & ejus conſequentibus, ut hoc ſpacio temporis eventuris, ipſa prænunciat. Nam falſitas prædictionum fidem Scripturæ infirmaret. Quæ ſimul eſſe debent, ſimul & cognoſci debent, neque poſſunt cognoſci, ſi alterum ab altero ſejunctum ſit.

Atta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Attamen Chriſtus dicit, Qui non audierit Eccleſiam, ſit tibi velut ethnicus vel publicanus. *Matth.* 18:17. Reſp. Hoc dicens Chriſtus non dat certis hominibus aut multitudini, nomen habenti in mundo, poteſtatem aliquid dicendi præter ea, quæ ſcripta ſunt; neque auctoritatem ſeparatam à Scripturæ auctoritate, propter quam verbum ullum pro divino accipiendum ſit: ſed docet, quouſque ἔλεγχος & *redargutio* procedere debeat, antequam eum, qui peccavit, pro ethnico habeamus; & quid ſummum ſit in judicio Eccleſiæ, ne cum alieno peccato communicet. Nam παρακοὴ *inobedientia*, quæ facit, ut aliquis *pro ethnico habeatur*, non refertur ad dictum alicujus & ſententiam ac pronunciationem, ἀπόφασιν, ſed ad ἔλεγχον *redargutionem*; & talem quidem, qualem etiam duo vel tres, imò unus fratrum, facere poſſent. Atqui nemo unus poteſt alteri imperare, quod credat vel faciat, propoſito ſuo nomine; ſed omnes, etiam pueri, poſſunt *redarguere*, proponentes certum verbum Dei. *Redargutio* enim inter Chriſtianos non fit, niſi vel rationibus natura ad conſcientiam notis, vel etiam, & quidem neceſſariò in rebus myſterii, verbo Dei id myſterium revelantis.

Eccle-

Eccleſia igitur ſi ipſa non habet auctoritatem ſeparatam à verbo Dei, quomodo dicitur columna & firmamentum veritatis? 1 *Tim.* 3:15. Reſp. *Columna* dicitur, quia eſt עז *robur*, ſive res ſtabilis & firma, מוסד מוסד res bene etiam atque etiam fundata. Pſalm. 8:3. Eſ. 28:16. *Firmamentum veritatis* eſt, quia in veritate fundata eſt, & per eam firmatur. Ἑδραίωμα eſt ἑδραιούμενόν τι. Ut enim omnes fideles ἑδραιοῦνται, confirmantur & ſolidantur; ita & tota Eccleſia ἑδραιοῦται cònfirmatur & ſolidatur. Nam, ſi non habeat fundamentalem veritatem, tanquam βάσιν, non erit fundata, non erit ἑδραίωμα, res firmata & fixa. Igitur, qui veritatem fundamenti non habent, quia non ſunt in petra, etiam non ſunt ſtabiliti & confirmati. Poteſt idem vocabulum ἑδραίωμα etiam activè intelligi, ut dicatur ἑδραίωμα ἀληθείας, *firmamentum veritatis*, quia miniſtrat Deo ad veritatem in mundo notificandam, & conſervandam, dum & principium verum credendi profert, & fundamentum ſalutaris doctrinæ, ſive doctrinam fidei & reſipiſcentiæ oſtendit. Quæ ſi aliud verbum, tanquam legem Dei, traderet, aliudve fundamentum poneret, jam nullo modo Eccleſia eſſet.

eſſet. Ut enim fides una, lex fidei una, fundamentum fidei unum, imò Deus, Chriſtus, Spiritus unus, & ſic *veritas* una eſt; ita etiam Eccleſia non poteſt eſſe Eccleſia, ſi aliud principium, aliam regulam fidei, aliud fundamentum, & conſequenter alium Deum Chriſtumque tradat.

Promiſſum eſt Eccleſiæ, quod Spiritus Sanctus *illam* ducturus ſit in omnem veritatem. *Ioh.* 16: 3. *Ex quo videtur conſequi, nullam non veritatem eſſe apud Eccleſiam, &, quod univerſa dicit Eccleſia, id verum eſſe. Nam alioqui Eccleſia non duceretur ad veritatem & in omnem veritatem.* R. Spiritus ducit ad meram veritatē & ad omnem veritatem; etiamſi non omnia, quæ Spiritus docet, diſtinctè diſcat Eccleſia, & in quibuſdam aberret. Spiritus enim ducit per verbum, quod eſt verbum veritatis: & verbum, quo Spiritus immediatè ſingulos alloquitur & ſingulos ducit, continet omnem ſalutarem veritatem. Chriſtus dicit, *DVCET VOS*, alloquens Apoſtolos: ad quos etiam dicit, *Futura annunciabit vobis.* Apoſtoli ita ducendi fuerunt ad omnem veritatem, ut lex Domini per illos ſine omni errore in propatulo poneretur; juxta promiſ-

ſionem Novi Teſtamenti, Hebr. 8: 10. Jer. 31:33. Si quis velit hoc ulteriùs extendere, neceſſe eſt, ut extendat ad omnes & ſingulos fideles. Quòd ſi autem hoc extendamus ad omnes & ſingulos fideles, conſtat, id verificari (quoad effectum ductûs Spiritus Sancti) in omnibus, quatenus efficit, ut credant Scripturæ & parati ſint credere omnibus, quæ in ea docentur; & ut credant in Jeſum Chriſtum crucifixum ad juſtitiam, atq; ita credant eam veritatem, in qua omnia continentur. Nã nemo tam imprudens aut impudens eſt, ut putet neminem fidelium in ullo errare aut labi. Ne ipſos quidem doctores extra periculum erroris eſſe conſtitutos, extra controverſiam eſt. Aug. tract. 97. in Johannem. *Spiritus Sanctus, quem promiſit dominus ſe diſcipulis ſuis eſſe miſſurum, qui eos doceret omnem veritatem, quam tunc, quando cum eis loquebatur, portare non poterant, de quo Spiritu Sancto, ſicut dicit Apoſtolus, nunc pignus accepimus, quo verbo intelligeremus ejus plenitudinem nobis in vita alia reſervari. Ipſe ergo Spiritus Sanctus & nunc docet fideles, quanta quiſque poteſt capere, & ſpiritalia eorum pectora deſiderio majore ſuccendit, ſi quiſque in ea charitate proficiat, qua &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

diligat cognita & cognoſcenda deſideret, ita ut ea quoque ipſa, quæ nunc quomodocunq; cognoſcit, nondum ſe ſcire ſciat, ſicut ſcienda ſunt in ea vita, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Hoc tamen ex hoc & aliis locis facile perſpicitur, etiamſi hæreſes exiſtant in Eccleſia & defectio, tamen non poſſe fieri, ut omnes, qui Chriſtiani nominantur, in univerſum deficiant ad aliud *principium & fundamentum*, quod Apoſtolus nominat *aliud Euangelium*; vel in *exitiabiles hæreſes & idololatriam* (quæ cum fide conſiſtere non poſſunt) abducantur. Nam fidelibus promiſſum eſt, eos non ita ſeductum iri; & eos à Spiritu ductum iri ad veritatem. Spiritus enim docet per *verbum*, quod publicatum eſt, in quo eſt immediata allocutio omnium; & per charitatem inſpiratam cordibus; & per illuminationem oculorum, ut, qui diſcit, *ſic intelligat, ut inde* (h. e. de eo) *dubitare non debeat* (quemadmodum loquitur Auguſtinus tract. 98. in Joh.) & quidem, ut id *tanquam ædificium, regulæ credendi*, veluti *fundamento*, ſuperſtruere poſſit, (ut ibidem Auguſtinus monet) h. e. ut in eo à veritate ad veritatem ſecundùm analogiam fidei proficiat. Quòd ſi igitur deſe-

ritur verbum illud immediatum Spiritus ſancti & regula fidei, quæ eſt fundamentum; eſt apoſtaſia & non ductus Spiritus Sancti, qui ducit ad veritatem.

Videor ex dictis animadvertiſſe, Deum hanc curam pollicitum eſſe Eccleſiæ, ut non patiatur Eccleſiam totam, in qua neceſſariò etiam vocati & electi & fideles *comprehenduntur, incidere in errores exitiales. nam ſi in eos inciderent omnes, utique omnes perirent. Atqui fideles electi perire non poſſunt. Ex illo autem hoc conſequitur,* 1. *quòd controverſia, quæ agitatur de eo, quod in univerſa Eccleſia aliquando obtinuit, agitetur de non neceſſario: quodque adeò ſchiſmatis rei ſint, qui propter illam ſe ſeparant.* 2 *Quòd Eccleſiæ præceptis omnibus (ſi modò in iis conſenſus ſit) obediendum ſit, quia tutò illis pareri poteſt. Non enim permittit Deus ſanctos labi in errores exitiabiles.* Reſp. Hoc eſt Sophiſma, quo multos ultimo hoc tempore Diabolus infatuat. Qui debebant cogitare, 1. eſſe tempus, quo de Eccleſia verè dici potuit, *Exſtitimus, ut impurus, omnes nos*, Eſ. 64: 5. & tamen non ſequi, tutum eſſe, nedum neceſſarium, ut velimus eſſe omnes, ut impuri, & in ſanguine ac Spiritu Chriſti non purgati; ne ſcilicet

cet ſchiſma faciamus: ſed neceſſarium eſſe, ut, qui vident, in quo, non ut oportet, fideles aſſimilantur impuris, errantes & non rectè incedentes redarguant, neque communicent cum ullo illorum peccato. II. Verbum Dei non ab omnibus eodem modo vel audiri vel narrari. Non enim omnes vel audiunt vel narrant in fide. Et, qui in fide, non omnes eodem modo. Auguſtinus tract. 98. in Johannem. *Non enim æqualiter mente percipitur etiam quod in fide pariter ab utriſque recipitur. Ita fit, ut prædicatus ab Apoſtolis Chriſtus crucifixus & Iudæis eſſet ſcandalum & gentibus ſtultitia, & ipſis vocatis Iudæis & Græcis Dei virtus & Dei ſapientia: ſed carnalibus parvulis id tantùm credendo tenentibus; ſpiritalibus autem capacioribus id etiam intelligendo cernentibus. Illis ergo tanquam lacteus potus, iſtis tanquam ſolidus cibus, non quia hoc illi aliter in populis, iſti aliter in cubiculis cognoverunt, ſed quod eodem modo utrique, cùm palam diceretur, audiebant, pro ſuo modo quique capiebant. Quum enim Chriſtus propterea ſit crucifixus, ut in remiſſionem peccatorum ſanguinem funderet, quæ ejus unigeniti paſſione divina gratia commendatur, ut nemo in homine glorietur:*

quomodo intelligebant Chriſtum crucifixum, qui adhuc dicebant ego ſum Pauli? Nũquid quomodo ipſe Paulus, qui dicebat, mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti? De ipſo itaque Chriſto crucifixo & ipſe cibum pro ſua capacitate ſumebat, & illos lacte pro eorum infirmitate nutriebat, &c. Qui locus Auguſtini, imò Apoſtoli Pauli, teſtatur, inter fideles eſſe differentiam eorum, qui credunt, propter revelationem Dei, Chriſtum fudiſſe ſanguinem ſuum pro peccatis multorum; & eorum, qui, ut adulti, *ſapientiam*, quæ eſt in myſterio, & veritates plures alias inter ſe connexas & in hoc myſterio comprehenſas, intelligunt. qualis nominatim eſt illa, non eſſe dicendum, *Ego ſum Pauli.* Nam, qui deſtituuntur perfecta cognitione Sapientiæ, quæ eſt in myſterio hoc & fundamento ſalutis, & tamen credunt, hoc myſterium ſibi propter juſtitiam ſuam & ſalutem revelatum eſſe, eſſe quidem *in Chriſto*; ſed ut *parvulos* & infantes; qui non habent omnem diſcretionem boni & mali (ut eſt Hebr. 5: 14.) & propterea adhuc *carnales* eſſe, quatenus, dum carent cognitione multorum, quæ ſunt Spiritûs Dei, in iiſdem, quæ ignorant, car-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

carnaliter ſapiunt: licèt *diligant cognita & cognoſcenda deſiderent.* quod eſt eorum, qui ſunt in Chriſto. nam Spiritus Chriſti per charitatem, quam operatur in fidelibus, impellit ad quærendam veritatem. Lubet addere ſimilem locum ex lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 27. *Quidam verò adhuc carnales & animales provectus ſuos inſtanter exercent, &, ut cibo ſpiritalium fiant idonei, ſanctorum myſteriorum lacte nutriuntur, ea, quæ in pravis moribus populari etiam judicio manifeſta ſunt, in Dei timore devitant, & ut minus minuſque in rebus terrenis & temporalibus delectentur, vigilantiſſimè ſatagunt, REGVLAM FIDEI diligenter inquiſitam firmiſſimè tenent, &, ſiquid ab ea deviant, citò autoritate Catholica corriguntur, quamvis in EIVS VERBIS pro SENSV CARNALI variis adhuc phantaſmatum concurſibus fluctuent. Sunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæreſibus vel in gentilium ſuperſtitionibus jaceant, & tamen etiam illic novit dominus, qui ſunt ejus. Namque in illa ineffabili præſcientia Dei multi, qui foris videntur, intus ſunt, & multi qui intus videntur, foris ſunt. Ex illis ergo omnibus,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

qui, ut ita dicam, intrinſecus & in occulto intus ſunt, conſtat ille hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum. Inter ipſos *adultos* eſſe ſimile diſcrimen; per ſe patet. Quis eſt enim ita *perfectus* ſive adultus, ut intelligat omnia, quæ ex myſterio intelligi poſſunt, &, ea, quæ novit, ita norit, quemadmodum oportet cognoſcere: quum id ne de iis quidem, quæ petimus, dici poſſit. Rom. 8:26. Quare non mirum, ſi etiam in adultis aliqua carnalitas & conſilium carnis ſuperſit, dum hîc vivunt. Quòd ſi verò tanta differentia eſt inter eos, qui cum fide audiunt; quanta neceſſe eſt ut ſit differentia inter eos, qui non cum fide audiunt? quod Servator docuit in parabola Seminantis, Matth. 13: 19. 20. 21. 22. 23. Qui tamen omnes quum ad Eccleſiam accedere poſſint, imò acceſſuri ad eam, & Chriſti nomen & verba præ ſe laturi innuantur; clarum eſt, potuiſſe fieri, ut inanium cogitationum & ſermonum magna ſeges cum talibus auditoribus ſe in gremium Eccleſiæ penetraret. Quod autem dixi, non omnes, qui prædicant, prædicare Euangelium ἁγνῶς & εἰλικρινῶς *caſtè & ſincerè*, eſt dictum & ab Apoſtolo, Philip. 1: 10. 16.

Jam,

Iam, ſi ii, qui pueri in Chriſto ſunt, cum illis, qui non niſi nomine tenus Chriſto conjuncti ſunt, dicant, ut illi Corinthii, *ego ſum Pauli:* an ideò rectum erit, hoc illos dicere; aut adulti, qui norunt, hoc non eſſe gloriari in Deo, tenebuntur etiam dicere, *ego ſum Pauli*; & id dicentes non reprehendere & docere, ut Apoſtolus fecit? Licet enim nō propterea illi, quòd dicant, *ego ſum Pauli*, ſint ſtatim perituri; tamen eſt ea *ſtipula* impoſita *fundamento*, quæ igne conſumenda eſt, & *in illo die* non permanebit: eaque, quantum ejus fieri poteſt, ab adultioribus eſt, cum omni charitate, tollenda.

III. Errores & cogitationes carnales non uno modo eſſe in *pueris in Chriſto* & in *hoſtibus mentientibus Chriſto*. Nam, ſi aliquis, qui nominatur Chriſtianus, dicat, *ego ſum Pauli*, h. e. pro homine & humano nomine intumeſcat contra alium; (valde enim appoſitum eſt exemplum, quo Auguſtinus utitur) clarum eſt, eum, qui non credit verè verbo Dei, & *fundamentum* loquitur quidem cum aliis aut patitur alios id loqui, ſed virtutem illius penitus ignorat, ſive *non habet in ſe radicem*, hoc habere apud animum ſuum pro *fundamento*, quòd putat, ſibi dicendum

eſſe, *ego ſum Pauli*. In quo errore quum communicare poſſint *pueri in Chriſto* &, qui *ei dicunt, Domine, Domine*, & tamen non ſunt Chriſti, apparet, fieri poſſe, ut unus habeat errorem cum *dilectione veritatis & cognitæ & cognoſcendæ*, alius autem ſine ea, atque ita cum ignorantia Chriſti & ſine dilectione ejus. Jam quis nobis dixit aut promiſit, nullo tempore eventurum eſſe, ut omnes, qui in publicum noſci poterunt, foveant ſimilem opinionem inutilem & à carnali ſapientia profectam? ut propter plurium vel omnium conſenſum id oporteat pro vero haberi, quod omnes opinati ſunt, aut alios opinari permiſerunt, re non revocata ad examen? imò illud non pertinere ad tempus Novi Teſtamenti: *Omnes nos facti ſumus ut impurus?* Eſ. 64: 5. Et, in quo omnes ſic conſentiunt aut conſentire videntur, hoc reprehendendum non eſſe? & id (verbi cauſa, ſi dicant omnes, *ego ſum Petri*) reprehendentē poſſe rectè ab iis, ſi qui hoc dicerent, damnari & cogi ad idem dicendum, &, ſi id dicere detrectet, anathemate feriri; &, ſi, illis anathematizantibus & Scripturæ auctoritatem reſpuentibus, & hoc dicere pro fundamento habentibus, non accedat ad damnan-

damnantes, ſed timeat communicare cũ illorum peccato, pro ſchiſmatico habendum eſſe, qui ſervari non poſſit? Quis dicet, Tutò hoc poſſe dici, quod eſt error; & fieri, quod eſt peccatum? IV. Non conſiderant, qui ſic ratiocinantur, *neceſſarium* non uno modo dici. Eſt enim quiddam neceſſarium cognitu, ſine quo Deus amari & ſalus obtineri non poteſt: ut *principium & fundamentum*. eſt etiam, quod neceſſarium eſt diligere. eſt, inquam, cum fide fundamenti, neceſſaria dilectio omnis veritatis, & eſt neceſſarium odium omnis mendacii in genere. ut clariùs dicam, non tantùm eſt neceſſarium ad converſionem, ut fundamentum ſciam & id verum credam, ſed etiam amare ſimilitudinem Dei & odiſſe ſimilitudinem Diaboli, cupere cognitionem pleniorem veritatis, & cupere liberari ab ignorantiis & erroribus ſuis: quorum ſibi meritò is, qui quotidie proficit, ſuſpectus eſt. Ideoque Pſalmus 97. v.10. dicit: *Diligentes Dominum odio habete malum.* Et Apoſtolus Rom. 12: 9. *Prorſus odio habentes malum, agglutinantes vos bono.* Unde conſequitur, ſi quis veritatem ita cognoſcat, *ut de ea dubitare non poſſit* (quemadmodum Auguſtinus dicit) ne-

ceſſarium eſſe, ut eam approbet, diligat, retineat. Idque eò magis, ſi videat, eam veritatem congruere cum aliis veritatibus: ut non poſſint niſi ſimul approbari aut ſimul rejici. Certè rejicere veritatem cognitam non eſt animi fidelis, ſed id eſt *ἑκουσίως ἁμαρτάνειν, ultrò peccare.*

Atqui Auguſtinus dicit epiſtola 118. *ad Ianuar.* Si quid horum tota die per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. *Vnde poteſt hoc confici axioma: Non debere diſputari contra id, quod in tota Eccleſia aliquo tempore obtinet.* Reſp. Non poſſumus neque debemus præſtare omnium, qui in Eccleſia locuti ſunt, loquelas: ſed tamen etiam ea, quæ ſic dicta ſunt, ut in aliquo genere inculpatum ſenſum habere poſſint, ad aliud genus transferre, in quo ſenſum bonum & eandem rationem habere non poſſunt, atrox injuria eſt: & ſine fraude aut imprudentia id fieri non poteſt. Auguſtinus in tota epiſtola loquitur de conſuetudinibus Eccleſiaſticis, extra fidem & bonos mores. Illas conſuetudines refert vel ad inſtitutionem Apoſtolicam, vel ad Concilium generale; ſi univerſales ſint: vel ad ſingularum Eccleſiarum inſtituta. Et de his dicit:

dicit: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt.* Præſupponit tamen idem, *Chriſti lene jugum eſſe, pauca ſacramenta*; eaque in *Scripturis commendari.* diſtinctam eſſe *libertatem Novi Teſtamenti à ſervitute Veteris populi.* Ponit autem, ab Apoſtolis quædam inſtituta eſſe, quæ ſcripta non ſint. Quod nemo negaverit. Apoſtolus enim Paulus ipſe teſtatur, ſe in Eccleſiis quædam ordinare. Certum autem eſſe debet, ab Apoſtolis nihil ordinatum eſſe, niſi de iis rebus, quas, convenientibus Chriſtianis, ab omnibus oportebat fieri; quæ tamen diverſo modo fieri poterant. In qualibus rebus Apoſtolis licuit morem modumque certum commendare ſine fraude libertatis. Ita Apoſtolus inſtituit, ut die Dominico eleemoſynæ colligerentur: quod tamen & alio tempore fieri poterat. Certè in his, quæ hoc vel illo modo fieri oportet, ſi ea certo modo in Eccleſia fiant univerſaliter, *inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*, de tali conſuetudine diſputare. Extendimus etiam id ulterius. Quæ à Chriſtianis in unum convenientibus fieri oportet, ſi non uno mo-

do

do poſſint fieri, inſolens & inſanum eſt, velle ſine ratione mutari eum morem, qui in quaque Eccleſia jam bene obſervatur. Eſt igitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, quum quæratur de credendis, ad probandum, quod ſenſus omnium ſit veritas credenda, allegare, quòd rectum ſit vel toti Eccleſiæ vel ſingularum Eccleſiarum ordini ſe accommodare in iis, quæ ab Eccleſia oportet una fieri, & alio atque alio modo fieri poſſunt. Et verò quis crederet Auguſtino, ſi diceret, debere id, quod à pluribus vel ab omnibus dicitur aut dici permittitur, ſine exploratione, ſitne veritas an error, recipi? Imò quis credat, Auguſtinum hoc dixiſſe, qui ubique inculcat Scripturarum auctoritatem?

Sed neceſſe eſt eſſe in Eccleſia. Nam extra Eccleſiam non eſt ſalus. In Chriſto non eſt, qui in Eccleſia non eſt. In Eccleſia non eſt, qui ab Eccleſia diſcedit. Chriſti mandato, ut diligamus nos invicem, directè contrarium eſt, extra ſocietatem Eccleſiaſticam vivere. Reſp. Chriſtianis commendatur & φιλαδελφία & ἀγάπη, *dilectio fratrum & charitas* : quæ in tali diſtinctione ſignificat dilectionem omnium, etiam hoſtium. Multum inter utramque intereſt. *Fratres* in Chriſto *diligimus* nomi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

nominando illos fratres, & dum commiſcemur cum illis, cumque ipſis in cauſa Chriſti & in paſſionibus eorum pro ea libenter communicamus; & eos conſolamur & cum eis lætamur: niſi redargutionis & luctûs cauſæ ſint. Omnes tamen *amamus*, quatenus eos cupimus nobiscum juſtificari & ſalvari, & dona Dei in ipſis non imminuimus, ipſiſque impendimus bona noſtra, ut Deus æquè in illis atque in nobis glorificetur. Quis, quæſo, illos damnabit, qui ita ſunt affecti etiam adverſus errantes? Quis magis eos diligit, qui illis veritatem indicat, & in eo laborat, & propterea patitur, ut ipſos convertat: an ille, qui ſupparaſitatur errantibus & obſecundat? Eſt mandatum Eccleſiæ *judicium*. Et quid eſt *judicii*, niſi tenebras non vocare lucem, neque lucem tenebras; amarum dulce, dulce amarum; bonum malum, malum bonum: & non communicare cum alieno peccato? Qui verò non obediunt veritati, etiam fugiendi ſunt & *odio habendi*, h. e. unio illorum quærenda non eſt, ita ut, quamdiu cum illis idem cœtus agendus eſt, & in corde mœreamus propter ipſos, & luctum omnibus ſignis teſtemur. Ita Pſalmus 139:21. *Nonne oſores tuos odi, &*

cum

cum iis, qui inſurgunt in te, rixor? Perfecto odio odi ipſos, facti ſunt mihi inimici. & Pſalmo 26: 4. *Non conſedi cum hominibus vanitatis, & cum illis, qui ſe abſcondunt, non intro. Odi congregationem maleficorum, & cum improbis* (juſtitiæ Dei expertibus) *non conſideo.* & Pſalm. 1: 1. *Beatus homo, qui non ſedet cum irriſoribus.* & Apocal. 2: 2. *Novi opera tua, ... quod non potes ferre malos.* Quare præjudicium non eſt faciendum contra eum, qui *ſolus ſedet*, qui cum paucis timentibus Deum congreditur, & colloquitur, qui cum omni multitudine, quæ Deum laudat & glorificat, & in Chriſtum credit, participare cupit; &, quum paucos reperiat, quos ſine ſcrupulo, ſine reprehenſione & luctu recipere poteſt, luctum ſuum teſtatur, & metuit communicare cum aliorum peccatis, & pro iis ipſis, qui errant, ad Deum ſuſpirat. Quis enim dixit nobis, hoc non potuiſſe evenire ſub Novo Teſtamento, quod accidit Eliæ, ut is ſe putaret in X. tribubus ſolum eſſe? Quis dixit, in Novo Teſtamento non eventurum, ut pii clament, quod eſt in Pſalmo 12: 2. *Serva, Domine, quia defecit pius, quia abbreviati ſunt fideles ex filiis hominum?* An, quum Co-

rinthi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

rinthi unus diceret, Ego ſum Pauli; alius, Ego ſum Apollo; alius, Ego ſum Cephæ: nemini licuit dicere, Ego ſum Chriſti? Nonne etiam S. Petrus vehementer vituperat eos, qui, *quum effugiſſent verſantes in errore, & inquinamenta mundi, cognita via juſtitiæ, redeunt ad derelicta, & reſorbent vomitum ſuum*: &, *eorum poſteriora prioribus deteriora* fieri, dicit? Atqui id non tantùm dicitur de illis, qui è paganiſmo ad Chriſtianiſmum traducti fuerunt; ſed etiam de illis, qui effugerunt manum & ſocietatem illorum, quos toto capite ſecundo ſecundæ epiſtolæ diſtinctè deſcripſerat; quorum quidam in meditullio Eccleſiæ futuri fuiſſe noſcuntur ex verſ. 12. 13. 14. 15. Si igitur aliquando juſtum rectumq; eſt ſeparari ab illis, qui vocantur Chriſtiani, nempe *ut in errore verſantibus*, & beatum eſt *illos effugiſſe*; non poteſt damnari, ut charitatis Chriſti & corporis ejus expers, qui non ſemper poteſt ſocietatem Eccleſiaſticam colere cum illis, cum quibus illam aliquando coluerat: neque præjudicium contra illum facit, quod ii, cum quibus congregari non poteſt, plures ſint illis, qui timent ad illos accedere; niſi demonſtretur, ſemper majorē partem ejus multitu-

titudinis, quæ Chriſti nomine nuncupatur, fore meliorem; plus frumentorum eſſe in area, quàm palearum, ut non ferè frumenta in multitudine palearum ſint occulta. ut dicit Auguſt. cont. Donat. poſt collat c. 10. Præpoſtera ſine dubio ratio eſt, ex eo, quòd placeas hominibus, velle cognoſci participationem Chriſti, & non ex eo, quòd placeas Chriſto.

Quantum video, tu omnibus hominibus defers judicium de eo, quod Eccleſiæ aut ejus præpoſiti docent, & de regimine Eccleſiæ; viſque ab iis judicium ferri ſecundum Scripturam, quid rectum aut pravum ſit. Quod ſi verum eſſet, Chriſtus alicubi revelaſſet, quemlibet pro ſe debere examinare doctrinas præpoſitorum ex libris, quos relicturi erant ipſius diſcipuli. Atqui hoc Chriſtus nullibi revelavit: ſed ſimpliciter dixit, Qui vos audit, me audit. Reſp. Hic συλλογισμὸς comparatus eſt ad omnem fidem funditus è mundo tollendam, & introducendam ἀθεότητα ſub ſpecie fidei ſe venditantem. *Primò* enim certum eſt, ſine fide neminem ſervari. Jam fides eſt veritatis, & quidem à Deo revelatæ. Nemo credit, niſi qui novit, Deum aliquid revelaſſe, & ſermonem, quem Deus revelavit, & quid ſit id, quod

ſer-

ſermone illo revelatum eſt. Qui enim credit, credit in Deum & Deo, & paratus eſt ei obedire & cognitionem ejus quæ-rere; neque poteſt omnino ignorare ſen-ſum omnem verum ſermonis Dei, quem recipit. Si igitur fidelis non dijudicat inter id, quod à Deo revelatum eſt, & ab eo revelatum non eſt; ſique non judi-cat, quid ſermo Dei ſignificet; neſcit, cui credat, & quid credat: atque adeò nec credit. *Secundò*, Si illud dictum, *Qui vos audit, me audit*, obligat ad credendum aliquibus *ſimpliciter*, tanquam Chriſti verbum loquentibus, ex illo dicto poteſt ſciri, quinam ſint ii, quos audiendo Chri-ſtum audimus; &, quòd illos *audire* ſigni-ficet ſine examine & ulla alia ratione omnia talium dicta pro Chriſti dictis re-cipere. Et, ſiquidem hoc ex illo dicto in-telligi poteſt; clarum eſt, fidem etiam talium teſtium infallibilium fundari in Scriptura. Nam ſine Scriptura hoc di-ctum nobis non innotuit. Si autem ex illo dicto intelligi non poteſt, quinam illi ſint omni tempore, quorum omnia dicta pro dictis Chriſti recipienda ſint; aut quòd hoc ipſum *τὸ audire* ſignificet: clarum rurſus eſt, illo dicto non remitti nos vel obligari ad fidem alicui vel ali-

quibus

quibus habendam *ſimpliciter ſine ullo examine.* Atqui ex illo dicto neutrum intelligi poteſt. Nam id eſt dictum ad ſeptuaginta, è quibus Chriſtus miſit binos ante faciem ſuam: qui jamdudum è medio ſublati ſunt, & quorum verbum à nobis cognoſci ſine Scriptura non poteſt. Ex ea enim cognoſcimus, eos in civitatibus, à quibus recepti eſſent, ſanaſſe infirmos, & hominibus dixiſſe: *Appropinquavit ad vos regnum Dei.* Luc. 10: 8. 9. Quomodo autem ſequitur, ſi ſeptuaginta illos annunciantes, regnum Dei appropinquaſſe, audire, eſt Chriſtum audire: Ergo Chriſtus hoc dicto demonſtravit certos homines in mundo omni tempore futuros, quorum omnia dicta recipere ſit in ipſum credere; & ſine obedientia ipſorum, quæ omne examen excludat, non poſſe nos in ipſum credere? Accedit, *tertiò*, quòd ne ipſum quidem *audire* illos ſeptuaginta, valeat, omnia dicta eorum ſine examine ad Scripturas recipere. Nam hoc, quod illi nunciabant, erat id, quod promiſſum erat Patribus; quæ promiſſio poſteris per Scripturas erat notificata. Non autem obligabantur Iſraëlitæ ad recipiendum omnem, qui ſe diceret Chriſtum & regem in regno cœ-

lorum;

lorum; aut qui illis nunciaretur: ſed tenebantur ejus, qui ipſis regnum Dei annunciabat, dicta cum dictis Scripturæ, & facta cum oraculis prophetarum comparare. Unde & Chriſtus Judæos remittit ad *ſcrutandas Scripturas*, & negat, eos, quibus verba ſua eſſent incognita & abſurda, *verbum Dei in ſe habere* & *Moſi credere*: &, *Se in nomine Dei veniſſe*, vociferatur. Johan. 5. Quòd ſi diſcipuli Chriſti nihil aliud attulerunt ad Civitates Iſraëlis, quàm hoc, *Qui nos audit, Chriſtum audit*: quid habuerunt, quo Iſraëlitas obligarent ad fidem? Nam quis hoc non poſſit dicere? Quare, qui dicit, Chriſtum ſic voluiſſe ſibi credi, juſtificat Judæos, qui nec olim crediderunt, nec nunc credunt. Nam is, qui hoc dicit, negat, in Chriſto aliquid fuiſſe, propter quod neceſſariò pro Chriſto habendus eſſet. Longè aliter ſe res habet. Quia Chriſtus dicebat verba Dei, quæ Deum dicturum eſſe populo ſuo in prophetis prædictũ erat, & faciebat ea, quæ ipſum facere oportebat ſecundũ Scripturas: ideò, qui miſſos ipſius hoc prædicantes recipiebat, Chriſtũ; qui Chriſtum, Deum recipiebat: qui autem illos non recipiebat, nec Deo credebat; ſed oſtendebat, ſe nec Moſen nec Pro-
phetas

phetas intelligere. imprimis verò, ſi tanti boni præconio non excitarentur, ad inquirendum, an revera in D. Jeſu illa comparerent, quæ in ipſo debebant exſtare, teſtabantur, ſe regnum Dei nec exſpectare nec tanti facere. *Quartò*, quemadmodum Dominus diſcipulis ſuis, quos ante ſe miſit, hoc dicto animos fecit ad prædicandum, quod ipſis injunxerat; (ut & Titus in Catena Thomæ Aquinatis animadvertit, Verba Chriſti eſſe *conſolationem* diſcipulorum) ita apertũ eſt, unicuique, qui ſimiliter dicit, quod Chriſtus dixit, hoc dicto parrheſiam augeri, ne trepidet id dicere, quod ab ipſo didicerit; quia Chriſti verbum eſt, & conſequenter Dei; atque ita, qui hoc dicentem rejicit, Deum audire recuſat. Contra, quemadmodum Dominus hoc dicens non dedit ſeptuaginta diſcipulis poteſtatem aliquid dicendi ex ſe, quod à Chriſto non audiviſſent; quaſi nempe deberent putare, ſe per ἐνθουσιασμὸν ita actum iri, ut, quicquid ipſis in mentem & in buccam venerit, haberent pro verbo Dei; neque ipſi opus haberent audire Magiſtrum ſuum & audita narrare (quum etiam de Spiritu Sancto dicatur, eum non alia, quàm quæ audiverit, h. e. quæ jam ante

dicta

dicta fuerint, traditurum) ita etiamnum nullus eſt, quem debeamus habere pro eo, qui ſic inſpiretur, ut, etiamſi aliquid extra Scripturam & ſine demonſtratione ex Scriptura, dicat, tamen ei ſimpliciter ſit credendum. Qui ergo ſe aut plures pro talibus haberi vult, is eo ipſo oſtendit, ſe eſſe pſeudoprophetam, &, qui illi vel illis credit, credit dæmoniis. *Quintò*, Ne hoc quidem dici poteſt, Chriſtum demonſtraſſe Eccleſiam, ut ei crederetur. Nam, ſi dixiſſet, pios in nullo erraturos, tamen hoc inſuper requirendum eſſet, quis cœtus tempore Apoſtolorum pro Eccleſia & piorum congregatione habendus fuerit. Quod niſi ex doctrina Apoſtolica intelligi non poſſet: quia nullibi ſcriptum eſt, Qui Romæ vocabuntur Catholici vel Chriſtiani, &, qui cum illis conſentiunt, hi faciunt Eccleſiam. At hoc eſſe alicubi ſcriptum, neceſſarium erat. Quum igitur neque hoc ſcriptum ſit; neque illud, fideles in nullo erraturos: omnia deſunt, per quæ intelligi poſſit, demonſtratam eſſe Eccleſiam, cui credendum ſit. Dices, ſatis eſſe, quod ſcriptum eſt, *Eccleſiæ non prævalituras portas inferni.* Quæro igitur, An is, qui paratus eſt credere omni verbo Dei, h. e.

qui

qui amat Deum, & quærit atque orat, ut in veritatis cognitione proficiat, & ab omni mendacio liberetur; jam habendus ſit ſuperatus à portis inferni, ſi adhuc aliquid ignorat, & in quo errat? Nemo hoc audebit dicere: &, *ſervos Dei errare poſſe*, apertè dicit Apocalypſis c. 2: 20. Auguſt. de baptiſm. l. 6: 25. *In ipſo homine bonæ ſpei & probabilis fidei, ſed tamen homine, ſi quid aliter ſapit, non inde evacuantur, quæ rectè ſapit, donec ei Deus revelet & quod aliter ſapit.* Sed, *in errore,* ajunt, *omnes conſentire* non poſſunt: alioqui *ſuperabuntur à portis inferni.* Hoc autem dicunt ſine teſtimonio ſcripturarum, & ſine omni ratione. Quomodo enim error, qui condonatur ſingulis, poteſt omnes perdere, ſi fiat communis omnium? Omitto jam, quàm difficile probatu ſit, omnes in ullo, quod error videtur eſſe, conſenſiſſe. Quod tamen non difficile probatu eſſe deberet, ſi teneremur conſenſum omnium piorum habere pro lege. Conſenſus eſt judicii; quod eſt in animo. Sed neque omnes pii cognoſcunt omnia omnium dicta etiam maximè illuſtrium virorum, quando ea dicuntur; neque examinant omnia, quæ cognoſcunt; neque omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

dicunt, quid judicent de omnibus; neque, quæ unquam dixere pii, ſcripta ſunt; neque omnia, quæ ſcripta ſunt, extant; neque, quæ extant, à ſuppoſitionis & corruptionis fraude immunia ſunt; neque, quæ ſincera ſunt, planos & minimè controverſos ſignificatus habent; neque omnia, quæ in illis leguntur, ita ſcripta ſunt, ut ipſi auctores illa voluerint eſſe legem, & in iis putaverint errorem non eſſe; neque ea ab omnibus, quibus fide opus eſt, cognoſci poſſunt. Omitto hîc rurſus, quòd, de quibus eſt controverſia, non omnia fuerint ab omnibus & primis ſcriptoribus nominata aut dicta; quodque de multis non idem videantur dixiſſe; quodque impoſſibile ſit dicere, ab alterutra parte ſtetiſſe omnes fideles. Omitto etiam, quòd iidem, cum quibus nobis negocium eſt, dicant de quibuſdam, olim liberum fuiſſe ſentire aliter, nunc non eſſe. Qui hoc ipſo principium mutant, ut jam non amplius ſenſui & conſenſui Eccleſiæ prioris liceat ſententiam ſuam conformare.

Sextò, ut jam pedem propius conferamus, velim eos, qui negant, fidelibus, nominatim poſteriorum temporum, mandatum eſſe, ut de doctrina

omni, quam audiunt, judicent ſecundùm Scripturas Prophetarum & Apoſtolorum, in timore Dei conſiderare; Annon omnibus mandatum ſit *judicium?* &, Annon norma judicandi ſit ſola Scriptura? Si enim verum eſt, Mandatum eſſe, ut fideles judicent, & norma judicandi nobis, ultimis temporibus, nulla alia relicta eſt præter Scripturam; evidens eſt, mandatum eſſe, ut judicent fideles ſecundùm Scripturam. Atqui *judicium* fidelibus mandatum eſſe, his modis facile oſtendi poteſt. Chriſtus Matth. 23:23. inter graviora legis, quæ à Phariſæis prætermiſſa dicit, ponit τὴν κρίσιν *judicium.* Lex autem ſine dubio omnibus hominibus lata eſt: &, quum Decalogus præcipit, *Ne habeamus Deum alium*, jubet, ut diſtinguamus inter Deum verum & deos alios, & Deo, quod ſuum eſt, demus; idque ipſum, quod Dei eſt, non demus alii. Ita, dum vetat *nomen Dei temere ferre*, inter cætera mandat *judicium*, de eo, quod dicimus aut facimus tanquam in nomine Dei. Nam, quod dicimus tanquam verum & Deum teſtem habens, quod facimus tanquam bonum & Deum approbatorem habens, id ſi abſque judicio & quidem vero judicio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

cio dicimus aut facimus, nomen Dei *temere* ferimus. Quod enim ſine vero judicio fit, temerarium eſt. Igitur & Michæas *judicium* ab omni homine exigit. Mich.6:8. *Indicavit tibi, HOMO, quid ſit bonum: & quid Dominus poſtulat à te, niſi facere judicium, dilectionem ſtudii, & humiliter ambulare cum Deo tuo?* Confer Eſ.5:7. 56:1. Id porrò ſic patet, Si quiſque debet certus eſſe in propria ſententia, ut quid in fide dicat vel faciat, etiam in rebus indifferentibus: multò magis in iis, à quibus pendet ſalus. Antecedens patet ex Rom.14:5. & 22.23. Item, quia ad *fidem* opus eſt *bona conſcientia*. Nam, *qui bonam conſcientiam repellunt, circa fidem naufragant*, h. e. ad portum fidei non perveniunt. 1.Tim.1:19. Atqui *bona conſcientia* non habetur ſine ſcientia ejus, quod bonum eſt. Quin res clamat, ad eam requiri δοκιμασίαν τῶν διαφερόντων *explorationem potiorum* & *voluntatis Dei bonæ ac perfectæ*, Phil.1:9.10. *Et hoc oro, ut charitas veſtra adhuc magis ac magis abundet in cognitione & omni ſenſu, ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri & inoffenſi ad diem Chriſti.* Rom.12:2. Quin Eccleſiæ datum eſt *judicium*, 1.Cor. 5: 12. *Nonne eos, qui intus ſunt, vos judicatis?* Et Rom.16:17. *Hortor*

vel *rogo vos, fratres, conſiderate illos, qui diſſidia & ſcandala præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & recedite ab illis.* Quo loco ponit, fideles veritatem didiciſſe, & eorum officium eſſe conſiderare & obſervare eos, qui diſſidia inſerunt & ſcandala faciunt præter doctrinam, quam ipſi, fideles, didicerunt: imò etiam recedere à talibus. 2. Johan. 10: 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non fert, nolite eum excipere domo, neque Ave ei dicite. Qui enim Ave ei dicit, communicat malis ejus operibus.* 2 Cor. 6:14. *Nolite jugo eodem conjungi cum infidelibus,* &c. & v. 17. *Quare exite ex medio illorum, & ſeparate vos, dicit Dominus, & impurum ne tangite.* 1. Theſſ. 5:21. *Omnia probate. Quod bonum eſt, retinete.* Et quis, niſi impudens, negaverit, hoc dictum eſſe omnibus, quorum eſt *bonum retinere.* Quod certè eſt omnium fidelium. Si enim hoc eſſet tantùm doctoribus dictum, ſic diceret: *Quod bonum eſt, docete.* Thomas. *In hac materia debet eſſe diligens examinatio, boni electio, mali abjectio. Quantum ad primum dicit, Prophetias* (h. e. *verba Dei & prædicationes*) *nolite ſpernere: tamen omnia probate, ſcil. quæ ſunt dubia. Manifeſta enim examinatione*

natione non indigent. 1. Joh. 4. *Omni ſpiritui credere nolite.* ubi Apoſtolus addit, *ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint.* Unde ſanè claret, fidelibus competere judicium, & ab illis adhiberi debere. Adde ad hæc, quòd is, qui negat, judicium mandatum eſſe, eum neceſſe ſit putare, fidelibus injunctum eſſe, vel eos decere, ut ſemper ſint tanquam pueri, neſcientes *diſtinguere inter malum & bonum:* quod Apoſtolus vituperat in Hebræis, & aſſignat iis, qui ſunt *rudes ſermonis juſtitiæ.* Hebr. 5:13.14. Sufficiant hæc de judicii neceſſitate. Nam & ipſi, qui nos nolunt judicare ſecundum Scripturas, judicant, dum decernunt, ſibi obediendum eſſe ſuis doctoribus, idque nobis imperant, & ſuos doctores ab alienis diſtinguunt, omneſque, qui ipſorum doctores non audiunt, ſchiſmaticos & hæreticos & interficiendos pronunciant, idemque à nobis fieri poſtulant, ſcilicet, ut ſic faciamus, quod Chriſtus dicit: *Qui non audierit Eccleſiam ſit TIBI velut ethnicus.* Matth. 18:17. Neque tamen ſine cauſa paullulum in eo morati ſumus, ut oſtenderemus, fidelibus judicium commendatum eſſe; quia mihi ipſi contigit à quodam ſene & in juris ſcientia exercitato

proſelyto partium Romanarum in os dici: Dictum Pauli, *Omnia explorate*, &c. non pertinere ad plebem, ſed ad doctores. Reſtat nunc, ut oſtendamus, judicium, quod commendatum eſt fidelibus, faciendum eſſe ſecundùm Scripturas. Omitto, quòd Apocalypſis dicit cap. 20: 12. *judicati ſunt mortui ex ſcriptis in libris illis ſecundùm opera ſua.* in quo loco ſuppono agi de mortuis, qui hactenus dicuntur non eſſe participes reſurrectionis primæ h. e. regenerationis; itemque diſtingui *libros ſecundùm quorum ſcripturas judicati ſunt mortui*, & *opera*, circa quæ & juxta quæ ex libris judicatum eſt. Inde enim patet, libros hos eſſe libros normam judicii continentes. Suppono etiam, inter mortuos ita judicatos eſſe quoſdam ſcriptos in libro vitæ. Qui neceſſariò ex morte hac per illud judicium convertuntur ad Deum & ſalvantur. Unde, ut & ex aliis rationibus, patet, hîc non agi de judicio ultimo, quod peragetur à Domino; ſed de judicio, quod agitur in mundo ex Scripturis de hominibus mortuis in peccato, qui viſi ſunt revixiſſe. Sed, ſi etiam quis velit agi de judicio ultimo, ſufficit, quòd id fiet *ex iis, quæ ſcripta ſunt in libris.* Si Chriſtus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ex Scripturis judicabit, nos non poſſumus niſi ex Scripturis judicare. Primaſius Uticenſis libros *Vet. & Nov. Teſt.* intellexit. Haymo, quanquam latiùs extendat ſignificationem *librorum*, nempe ad conſcientias, tamen illum ſenſum, ut verum, primo loco ponit. Quos homines hîc cito, vel ut appareat, quid illi ſuo tempore nobiſcum crediderint. Sed omitto hoc, ut & alia. Sufficiat nobis, quod apertiſſimum eſt & minimè controverſum: nempe, *Iudicium debere fieri ſecundùm regulam fidei*; quam appellant Auguſtinus & alii, intelligentes *fundamentum*, & ſic etiã nominantes. Sic igitur argumentor. Quod judicium agitur ſecundùm regulam fidei demonſtrabilem ex Scripturis, id agitur ſecundùm Scripturam. Atqui judicium, quod commendatum eſt fidelibus, agitur ſecundùm regulam fidei demonſtrabilem ex Scripturis. Ergo ſecundùm Scripturas & ex illis. Ratio hæc eſt. Quia non tantùm dubium eſſe non poteſt, regulam fidei in Scriptura contineri; ſed quia etiam conſtat, non poſſe regulam fidei ſive fundamentum, ſive quatenus eſt verum & divinum verbum, ſive quatenus eſt verbum fundamentale, nobis innoteſcere primò ſine Scriptura.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Dico, *ſine Scriptura*; non *ex Scriptura*: ne mihi quis obloquatur, dicens, Per vivum ſermonem Apoſtolorum & per continuatam traditionem, Regulam fidei ad nos perveniſſe. De eo enim non jam neceſſe eſt diſputare. Sufficit, quòd *non ſine Scriptura primò* cognoſci poſſit. Et addo *primò*, quia, quum verbum fundamenti receptum fuerit, ut verbum à Deo revelatum, propter ipſam revelationis evidentiam, deinceps etiam cognoſci poteſt à provectioribus eſſe verum & divinum propter ipſam *ſinceriſſimam ſapientiam*, quæ in eo eſt. Cognoſci non poſſe, ut divinitus revelatum & ut fundamentum à Deo appellatum, ſine Scripturis, patet; quia Deus coordinavit traditionem verbi fundamenti, quod loquatur Eccleſia, & Scripturæ, ut continentis hiſtoriam traditi illius verbi. Et conſtat, hiſtoriam traditionis hujus verbi, quoad omnes notabiles circumſtantias, jam non niſi ex Scriptura cognoſci poſſe. Quare non niſi ſimul Scriptura & Verbum fundamenti ſive regula fidei cognoſci poſſunt: nempe ut cognoſcatur, hoc verbum à Deo ſic traditum, & ab eodem ſive ipſius inſtinctu Fundamentum appellatum eſſe. Confirmat

nos in hoc etiam Vincentius Lerinenſis commonitorio primo, edit. Nivellianæ pag. 53. *Hoc ſemper, neque quicquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi ut, quod priùs à majoribus ſola traditione ſuſceperat, hoc inde poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret.* Non diſputamus hîc, annon ex antiquitate nobis conſtare poſſit, quem ſenſum verborum fundamenti Eccleſia priſca tenuerit, atque etiam ex eo ſenſu poſſit præjudicium & *præſcriptio* formari adverſus eos, qui doctrinam aliam & antehac inauditam inferunt: quemadmodum idem Vinçentius in fragmento ſecundi Commonitorii dicit p. 67. *Diximus in ſuperioribus, hanc fuiſſe ſemper & eſſe hodieque catholicorum conſuetudinem, ut fidem veram duobus* (NB) *iis modis approbent; primum divini Canonis auctoritate: deinde Eccleſiæ traditione: non quia Canon ſolus non ſibi ad univerſa ſufficiat, ſed quia verba divina pro ſuo plerique arbitratu interpretantes varias opiniones erroreſque concipiant, atque adeò neceſſe ſit, ut ad unam Eccleſiaſtici ſenſus regulam Scripturæ cœleſtis intelligentia dirigatur: in iis dun-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

taxat præcipuè quæſtionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. Quibus verbis Vincentius clarè docet, 1 ſimul Scripturas & verba fundamenti in Eccleſia tradi atque accipi. 2. Scripturam ſufficere ſibi ad omnia. 3. Ad novas hæreſes (confer p. 63.) mutantes ſenſum verborum fundamenti & de fide detrahentes aut aliquid ad eam addentes (confer pag. 52) comprimendas valere præjudicium novitatis. Quod verum eſt. Qui enim aliam & incognitam doctrinam affert, audiendus non eſt. Sed & de hoc infra amplius. Nunc enim id non agimus: ſed hoc duntaxat oſtendimus, *Verba fundamenti* non ſine Scripturis haberi ab Eccleſia. Quod autem ſubſumſeram, ex fundamenti verbis divinitus revelatis & ſenſu eorum ex Scripturis demonſtrabili omne judicium faciendum eſſe, facile liquet, quia omnis doctrina debet ex *fundamento* profluere: & ad id nihil addi, nihil ab eo detrahi debet. Aliter enim non eſſet fundamentum. Nam fundamento omnia ſuperſtruuntur, h. e. cum eo ſic conjunguntur omnia dogmata, ut paris roboris & firmitudinis propter connexionem, quam habent cum illo. Ideo S. Johannes dicit,

eos, qui credunt fundamentum, *cognoſcere veritatem, ſcire omnia.* &, *mendacium ex veritate non eſſe*, ſed omnia, quæ ex vero conſequuntur, vera eſſe. Et Apoſtolus Paulus, Jeſum Chriſtum nobis factum eſſe ſapientiam à Deo. & ſermonem crucis Chriſti eſſe ſapientiam in adultis: & in myſterio Chriſti & Dei contineri omnem ſapientiam & prudentiam. 1.Cor.1:18.30. 2: 1. 2. 6. Coloſſ. 2: 2. 3. Idem Apoſtolus docet Rom.12: 6. *prophetiam* h. e. interpretationem Scripturarum (ut videmus Thomam hoc vocabulum interpretari in 1. Theſſ. 5:20.) *debere fieri ſecundùm analogiam* ſive *rationem fidei*, h. e. fidei conformitatem. Thomas. *Non in vanum, ſed ut per hæc fides confirmetur; non contra fidem.* Eſt autem *fides*, quæ ſola rectè prophetias interpretari poteſt, fides divinæ revelationis (cujus nunc nobis inſtrumentum ſolum ſincerum690 ſupereſt Scriptura) fides fundamenti, & omnium veritatum, quas ſecundùm fundamentum ex Scriptura ita didicimus, ut dubitare non poſſimus. Unde liquet, per Scripturas nos docere, & per eaſdem judicare. Quia per ἔλεγχον & docemus & judicamus. Quod autem dixi, nos non poſſe docere per ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ſum fundamenti, niſi is ſit ex Scripturis demonſtrabilis, id inde clarum eſt, quia nemini poteſt negari, imò omnibus debetur confirmatio dogmatis Chriſtiani & explicatio; quæ non poteſt ſumi, niſi ex Scripturis. In quo omnes pii conſentiunt. Nam nullus unquam inventus eſt ante poſteriora hæc ſecula, qui auderet dicere, ſenſum verborum Dei debere accipi propter ſolam auctoritatem ullius hominis eum ex ſcrinio pectoris ſui ſine demonſtratione effundentis. Utile eſt hîc apponi, ad ea, quæ dixi, illuſtranda, quædam Vincentii. pag. 48. *Intelligatur, te exponente, inluſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur: eadem tamen, quæ didiciſti, doce, ut, cum dicas NOVE, non dicas NOVA.* & pag. 50. *Ita etiam Chriſtianæ religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges, ut annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permanet,* &c. *Severunt majores noſtri antiquitus in hac Eccleſiaſtica ſegete triticeæ fidei ſemina: iniquum valde & incongruum eſt, ut nos eorum poſteri pro germana veritate frumenti*

menti ſubdititium zizaniæ legamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & conſequens eſt, ut, primis atque extremis ſibimet non diſcrepantibus, de incrementis triticeæ inſtitutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus, &c. Fas eſt, ut priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur: Sed nefas eſt, ut commutentur, nefas ut detruncentur, & mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, diſtinctionem: ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem, &c. Sed & è contra: ſi novitia veteribus, extranea domeſticis & profana ſacratis ADMISCERI cœperint, proſerpat hic mos in univerſum neceſſe eſt, ut nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, ſed ſit ibidem deinceps impiorum & turpium errorum NB lupanar, ubi erat antea caſtæ & incorruptæ ſacrarium veritatis. Sed avertat hoc à ſuorum mentibus nefas divina pietas, ſitque hic potius impiorum furor. Chriſti verò Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatū cuſtos, nihil in his unquā permutat, nihil minuit, nihil ADDIT, non amputat neceſſaria, non appo-

nit

nit ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat aliena, ſed omni induſtria hoc unum ſtudet, ut vetera fideliter ſapienterque tractando, ſi qua illa ſunt antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat, &c. Id in Conciliis eam egiſſe per Scripturas oſtendit. Verba quædam ſupra jam poſuimus. Ad eundem modum Auguſtinus tract. *99.* in Johannem docet ædificare in fundamento. *Si quid ergo intellexeris, quod non ſit contra regulam Catholicæ fidei, ad quam velut viam, quæ te ducat ad patriam, perveniſti, & ſic intellexeris, ut inde dubitare omnino non debeas, adde ædificium: noli tamen relinquere fundamentum. Sic debent majores docere aliquid parvulos, ut omnium dominum Chriſtum & ſeipſis longè majores Prophetas & Apoſtolos non dicant aliquid fuiſſe mentitos.* Et idem mox, quanquam, ut verum eſt, ſuppleri poſſe doceat, quod fidei deeſt, tamen negat, nos poſſe *prætergredi regulam fidei. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, ſed recedit de via.* Hæc obiter, illuſtrandæ rei cauſa, poſita ſunto. Nos pergamus argumentari. Si non licet *unicuilibet ſpiritui credere,* ſed neceſſe eſt, *ut ſpiritus exploremus,*

mus, an ex Deo ſint; idque ideò, quia *multi pſeudoprophetæ exiverunt in mundum*, & *ſpiritus Antichriſti jam* tum, quum hęc ſcriberentur à S. Johanne 1. Ep. c. 3: 3. *fuit in mundo:* ſequitur, fidelibus neceſſarium eſſe judicare, & quidem ex Scripturis, juxta fundamentum, quod traditur in Scripturis. Judicandum eſſe, per ſe patet: ex Scripturis juxta fundamentum judicandum eſſe, ſic patet. quia & Apoſtolus fundamentum illud, juxta quod judicium exercendum eſt, in Scripturis ponit, v. 2. 3. & *multi pſeudoprophetæ*, qui exiverunt in mundum, non permittunt nos credere multitudini; quemadmodum etiam multi, qui ſunt nobiſcum, & non ſunt ex nobis, cap. 2: 19. & ſpiritus Antichriſti permiſſus in mundum ſe ingerere & omnia præparare ad Antichriſti introductionem & gentium defectionem à veritate Euangelii procurandam nobis facit ſuſpectas noſtras ipſorum cogitationes, & illa, quæ ab eminentiſſimis patrum dicta ſunt: ut jam neceſſe ſit diligenter examinare & quæ nobis in mentem veniunt, à quo ſpiritu ſint, & quæ audimus ab aliis dicta. Quicquid enim non eſt à Spiritu Dei, eſt à ſpiritu Antichriſti: ex quo ſpiritus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ritus Antichriſti permiſſus eſt in mundum intrare. Certè hæc tam luculenta monita ſpernenda non ſunt. Quid enim aliud poſſunt valere hæc verba: ***Spiritus Antichriſti jam in mundo eſt*** : quàm hoc: Deus permiſit Satanæ omnia jam ab hoc tempore parare ad hoc, ut cum ***Antichriſto*** introducatur ***defectio***? Quod ſi verum eſt, non poteſt fieri, quin, ad caſtigationem & explorationem fidelium & ad pœnam eorum, qui non ſuſceperunt amorem veritatis, ut ſalvarentur, ita à Deo diſpenſatum ſit, ut Spiritus mendacii etiam imponeret fidelibus, ut opinarentur hoc aut illud utile eſſe, quod inutile erat, ut poſſet abuti nomine & exiſtimatione illorum, & per illos aliquid inconſideratiùs dictum curaret effutiri, quorum ſcripta debebant conſervari, ut haberet ſcenæ ſuæ choragium. Res ipſa id arguit. Antichriſtus debebat conſidere in templum Dei, quod eſt Eccleſia. Non poterat id fieri, niſi Eccleſia haberet ſpeciem Civitatis mundanæ; niſi nomen humanum ab antiquioribus temporibus eſſet in precio; niſi locus & ſucceſſio obtinerent auctoritatem; niſi quædam perperam aut ſaltem aptè ad detorſionem dicerentur; niſi negligeren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tur Scripturæ; niſi poteſtas multorum vocabulorum & phraſium Scripturæ interiret aut mutaretur; niſi multa in utramque partem diſputarentur; niſi adderentur ad Scripturam ſub titulo Traditionis humana commenta, ex quibus aliud tandem fundamentum compingi poſſet. Quare ex hoc ipſo conſtat, Deum, ad oſtenſionem ſapientiæ & potentiæ ſuæ, ad retaliandam mundi non amantis veritatem & in eam non inquirentis ingratitudinem, non voluiſſe id dare ſervis ſuis, ut quàm explicatiſſimè & pleniſſimè & ſinceriſſimè Scripturam exponerent & omnem veritatem vel cognoſcerent vel docerent, & in nullo ſermone aut ulla opinione offenderent. Quemadmodum etiam ipſe Chriſtus voluit quidem ita venire & loqui & agere, ut oves ſuæ ſecundùm Scripturas propheticas per Spiritum Dei illuminatæ ipſum agnoſcerent & viderent gloriam ejus tanquam gloriam unigeniti à Patre, at principes illius ſeculi eum videntes non viderent, & verba ejus audientes non intelligerent; eum denique crucifigerent. Vide Eſ.6. Joh.12. 1. Corinth. 2:8. Adde 1.Cor.1:23. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum,*

Græcis

Græcis verò ſtultitiam. Quod verò inter Chriſtianos ita actum eſt, id, ut apertum eſt, ad ipſam Judæorum indurationem permultum facit. Poſtremò, promittitur futurum in Novo Teſtamento, ut Deus proponat legem ſuam, quæ ſine dubio eſt lex fidei, in medio, in omnium quodammodo oculis, ore & cogitatione, & ipſe eam cordibus inſcribat, & tum nemo (legem ſcilicet fidei in corde ſcriptam habens, ut eam amet & firmiter teneat) amplius doctore egeat; quemadmodum etiam S. Johannes dicit Epiſt.1. cap.2:27. eos, qui perceperant & crediderant ea, de quibus ipſe locutus erat (in quibus eſt principii & fundamenti indigitatio. Nam alioqui talia non poſſet dicere) Spiritum Sanctum habere manentem in ſe, neque opus habere, ut quis ipſos doceat, niſi quemadmodum eadem unctio, h. e. idem ille ſpiritus (qui docuerat per verbum) ipſos immediatè per ſuum verbum doceret, ut ita catechesis humana ſubſerviat inſtitutioni Spiritus Sancti per verbum, quod immediatè Dei verbum eſſe cognoſcitur. Quæ ſi vera ſunt, quomodo poteſt ſubjici fidelis nomini humano, aut multitudini hominum, ut non pro-

pter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

pter ipſum verbum credat, ſed quia homo & homines id dicunt?

Tu quidem multa de ſcriptura recitas; quemadmodum omnes hæretici faciunt: at Scriptura non in ſono ſed in virtute ac valore ſententiæ conſiſtit. R. Si ego aliuſve ſuſpectus debet eſſe, qui non tantùm verba Scripturæ profert, ſed etiam illa ſecundùm ſimpliciſſimum & minimè contortum modum explicandi, ſecundùm regulam & conformitatem fidei, comparando ſpiritualia cum ſpiritualibus, intelligit; quomodo is non erit ſuſpectus, qui venit in nomine ſuo, & verba ſua loquitur, & non vult nos judicare de doctrina ſecundùm Scripturam? Imò, quia Diabolus etiam Scriptura abutitur, ideone ei gladium illum ſpiritus trademus, & non eum vibrabimus contra ipſum? An Chriſtus, quia Tentator proferebat Scripturas, reticuit Scripturas, & nos iis uti noluit?

At ſunt ambiguæ Scripturæ, & unuſquiſque illas trahit in ſenſum ſuum. R. Scripturæ, ſi teneatur conformitas fidei & fundamenti ratio & comparatio ſpiritualium, non ſunt ambiguæ, ſed certum definitumque ſenſum habent. Nihil poteſt eſſe in Scripturis indefinitum,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

quod non ex ipſa Scriptura aut implemento certam definitamque accipiat notionem. Si autem quædam ſunt indefinita, quæ qualia ſint ex Scripturis cognoſci non poteſt, credendum eſt, ea Deum non voluiſſe à nobis cognoſci niſi indefinitè & in genere ſive obſcuriùs, aut ea demum per implementa eſſe aperienda. Nemo eſt, cui licet definire, quæ Deus in Scriptura non definivit. Cæterum, ſi Scriptura eſt ſermo Dei, non habet proprietates ſermonis Dei? Quales ſunt illuminare oculos, docere, eſſe vivum & operoſum, acutiorem gladio ancipiti, penetrare uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, juncturarum & medullarum & judicare cogitationes & meditationes cordis?

Quilibet dicit, Scripturam pro ſe ſtare. Ita fides ſit incerta. R. Si fides penderet à dicto hominis, qui dicit, Scripturam à ſuis partibus ſtare; incerta eſſet fides. at nunc fides adhæret demonſtrationi, certaque ab incertis ſeparat, & fundamento atque ejus intellectui, quem fidelis jam in quocunque gradu habet, ea, *de quibus dubitare non poteſt*, quin à Deo ſint dicta & cum fundamento congruant, ſuperſtruit: idque facit Deo cor aperiente, non

homi-

homine vel movente vel compellente. *S. Petrus dixit, in Epiſtolis Pauli eſſe* quædam difficilia intellectu, *eaque torqueri à quibuſdam ad proprium exitium. unde apparet, in ipſis illis, quæ ad fidem pertinent, Scripturam loqui δυσνοήτως. Vnde liquet, ex illa judicium fieri non poſſe.* R. Fatemur omninò, 1. Omnia, quæ ſunt Spiritus Sancti, non poſſe cognoſci vel recipi ab homine carnali, quia nec ſine Spiritu Sancto (donante amorem & timorem Dei) poſſunt examinari. 2. Myſterium ipſum habere נפלאות *mirabilia* & quæ ſuperant hominum conſilia & cogitationes: & pleraque non poſſe intelligi ita, ut ſunt; niſi in quantum revelata ſunt. 3. In ipſis rebus revelatis alia aliis eſſe difficiliora, & quæ requirant ſenſus exercitatos & antecedentem quandam cognitionem, mediante qua ulteriùs perducamur. Illa igitur eſſe δυσνόητα ἀμαθέσι καὶ ἀστηρίκτοις *difficilia intellectu indoctis & non confirmatis.* 4. In verbis eſſe ſtilum dignum Deo & hominibus Dei, emphaſeos pleniſſimum. Qualis ſtilus requirit ſtudium non vulgare & attentionem diligentiſſimam. Quod proficientibus non obeſt, quia exſtimulat ad ſtudium; & iis, qui ad ſenſum eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

eorum pervenerunt, eò majorem conciliat lætitiam & firmitatem. Hæc autem omnia non probant, ex Scriptura non poſſe cognoſci verba fundamenti, & ex illis non poſſe reperiri verum ſenſum (qui ſalutaris eſt) fundamenti; & per eam non poſſe ad pleniorem intelligentiam per gratiam Dei profici; & de falſis & alienis doctrinis judicari. Qui torquent, ſunt indocti & non radicati; qui verbis abutuntur, ut non credant, quod in illis dictum eſt, & per ea incruſtent, quæ falſa ſunt. Quod quia moniti ſumus à Petro, eò diligentiùs attendimus & expoſitiones omninò omnium examinamus. Nam vix poteſt fieri, ut quis in omnibus ſit æquè doctus aut firmus. In multis offendimus omnes. Quæ ratio eſt, ut, propter detorſiones indoctorum & non radicatorum, deſeramus Scripturas & credamus iis, quos in multis invenimus non ſatis doctos aut firmos? Nam ſi putamus, primos omnia occupaſſe, ſique nihil neque rerum, quæ ſecundùm prophetias fiunt, experimento, neque ſtudio, neque linguarum peritia abundantiori, neque librorum facili copia, neq; exercitatione hæreticorum elimari & ad majorem puritatem atque evidentiam

dentiam adduci potuit, quare etiam laborarunt poſteriores, & quare omninò ſe etiam homines eſſe putaverunt?

Quàm periculoſum ſit judicium ſingulorum, apparet in iis regionibus, ubi, ſublata poteſtate Epiſcopali, quivis ſe ad prophetandum accinxit & abſurdiſſima quæque locuti ſunt multi. R. Ea res non fuit cauſa errandi, ſed aperuit, quod antè latuit, & quàm malè multi fuerint inſtituti, ac parum radicati. Si Chriſtus debuit eſſe ſignum contradictum, ſi circa eum debuerunt manifeſtæ fieri multorum cordium cogitationes, ſi Zizania debuerunt in faſciculos ſuos colligi; ne miremur, quemvis ita de ſuo loqui, prout theſaurus cordis ſui ipſi ſuppeditat. Neque propterea verbum Dei patrocinatur ipſorum errori: aut illi, qui credunt verbo, debent putare, ſe errare in iis, *de quibus dubitare non poſſunt,* (ut Auguſtinus loquitur) quòd ſint & ex Scripturis demonſtrata & cum fundamento congruant. Talis autem abuſus verbi meritò facit fideles eò attentiores, ne quid ſibi permittant dicere & aſſerere, quod non planè ſciunt à Deo doceri, ſive à Deo revelari. Philip. 3:15. Tales novæ opiniones vannus ſunt, qua paleæ

à tritico

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

à tritico ſeparantur. 1. Cor. 11: 19. *Oportet etiam hæreſes in vobis eſſe, ut probi inter vos manifeſti fiant.*

Ingenioſi homines fortaſſe poſſunt in talibus caſibus videre errorem & cauſas ejus: at ſimpliciores, ſi nihil niſi Scripturam ſpectent, facile poſſunt decipi. R. Nemo à Scriptura decipitur. Si provectos ab errore liberat prudentia; ſimpliciores tutos facit timor. qui quærit bonam conſcientiam. Nemo in eo, quod neſcit, & tamen dicit, poteſt habere bonam conſcientiam. Quam qui repellunt, circa fidem naufragant. Simul enim fides & bona conſcientia habentur. Imò eò magis timet fidelis, ne credat hominibus, quia homines videt eſſe, qui ſic ſemetipſos decipiunt *loquentes temere :* dum cogitat, *omnem hominem eſſe mendacem*; & videt, quid latuerit in plurimis, qui poteſtate Epiſcopali compreſſi non auſi ſunt loqui. Ita, quum Arius auſus eſſet loqui, ſtatim orbis ferè univerſus factus eſt Arianus. Quum Lutherus prædicaſſet Euangelium, & Papæ auctoritatem fregiſſet, manifeſti facti ſunt, & qui amabant veritatem, & qui adorabant beſtiam, & qui alia omnia ſentiebant. Ita & noſtris temporibus agitur.

Eſto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Eſto, judicandum ſit ſecundùm verbum Dei, quod eſt in Scriptura, de iis, quæ homines, qui Chriſtiani & fratres appellantur, dicunt & faciunt, & deprehendatur in iis ignorantia & error; deprehendantur etiam mali in Eccleſia: tamen propter malos non eſt recedendum à bonis: non propter zizania, quæ permixta ſunt frumentis, is, qui ſibi videtur frumentum eſſe, ſe debet ſeparare à frumentis. Hoc enim eſt contrarium charitati. Quod multis gravibus ſententiis eſt inculcatum ab Auguſtino in libris adverſus Donatiſtas. Inſtar omnium eſſe poteſt, quod is ipſe ſæpe uſurpat à Cypriano, ex Epiſtola ad Maximum, &c. *ut lib.* 2. *contra Creſcon. Gramm. cap.* 34. Etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, ut, quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodò laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus: ut, cùm cæperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus. — Nec quiſquam ſibi, quod ſoli filio pater tribuit, vendicarit, ut ſe putet aut ad aream ventilandam & purgandam paleam ventilabrum jam ferre poſſe, aut à frumen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

to univerſam zizaniam humano judicio ſeparare. Superba eſt iſta obſtinatio & ſacrilega præſumtio, quam ſibi furor pravus aſſumit. Et, dum ſibi ſemper qùidam plus, quàm mitis juſtitia depoſcit, aſſumunt, de Eccleſia pereunt: &, dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati veritatis lumen amittunt. ***Et bene Auguſtinus contra Creſc. lib. 3. cap. 35.*** Fugio paleam, ne hoc ſim; non aream, ne nihil ſim. R. Rectè hæc omnia ſe habent: neque tamen interim deſinit eſſe verum, caſus tales & tempora evenire poſſe, ut corporibus ſit recedendũ ab iis, qui errant & ſeducunt atq; malè faciunt. Quum Apoſtoli eſſent facti ἀποσυνάγωγοι h. e. judicati eſſent alieni à fide Iſraëlitarum, & indigni commercio; & non audirentur in Synagogis locorum, ad quæ venerunt, diſcipulos ſuos ſeparaverunt à Judæis & cum eis in locis diſtinctis congregati ſunt. Actor. 19: 9. Neque tamen propterea Apoſtoli & diſcipuli voluerunt videri receſſiſſe ab ovibus Chriſti, quæ adhuc inter Judæos ſubſiſtebant: quas quæſiverunt, quaqua potuerunt, & deprehenſas adduxerunt, & venientes ad ſe ambabus ulnis exceperunt. Ita *ſequentes veſtigia ovium capellas*

*las ſuas paverunt juxta tabernacula paſtorum. Cant.*1: 9. Et in eo fecerunt juxta præceptum, quod eſt Eſ.52:11.12. *Recedite, recedite, exite inde, impurum ne tangite; exite è medio ejus, expurgamini, qui portatis vaſa Domini. Nam non in præcipitantia exibitis*, (nempe ſi in tempore exeatis) *& in fuga non ibitis. Nam antecedit vos Dominus* (recedens à populo iſto, & proficiſcens ad occupandam hæreditatem inter gentes) *& collector veſter* (ὀπισθοφυλακῶν) *Deus Iſraël.* Quæ Apoſtolus allegat 2. Cor. 6:17. *Quare exite ex medio illorum & ἀφορίσθητε ſeparamini, ait Dominus*, &c. Manifeſtum eſt, prophetam ibi Chriſtianos evocare ex Hieroſolyma & Synagogis Judæorum: neque tantùm intelligere *ſeparationem cordis*, ſed etiam *ſeparationem corporis*: imò etiam *ſeparationem quoad locum* ipſum habitationis. Nam profectò non erat conſultum Chriſtianis, ut manerent Hieroſolymæ circa extrema illius tempora, & cum refractariis ſocientur, obſiderentur, perirent. Apoſtolus autem id teſtimonium accommodat ad diſceſſionem à ſocietate & conſenſu & conjugatione cum infidelibus. v. 14. Nempe, qui Chriſti jugum ſuſceperunt,

non debent idem jugum ferre cum infidelibus. A quibus & locis, ſi ita res ferat, etiamſi ex hoc mundo diſcedendum ſit, debemus velle diſtingui, cum illis non debemus velle in ejuſdem jugi latione conjungi. Præterea poſſumus aliquando & non conſentire & non conjungi corporibus & tamen non ſeparari charitate. Nam, quos Eccleſiaſtica diſciplina ſecludit, non ſtatim omnes pro hoſtibus habemus, ſed & monemus ut fratres; 2. Theſſal. 3: 15. &, quos tradimus Satanæ, pro iis oramus, ut caro illorum, ſi neceſſe ſit, intereat, ut ſpiritus ſalvetur in die Domini, 1. Corinth. 5: 5. &, quos pro ethnicis habemus, ut ethnicos ſtudemus ad regnum Chriſti adducere: &, qui perſequuntur nos, pro iis, ſi Chriſtiani ſumus, oramus. Quare non, ſi corpore & cœtu non conjungimur, ſtatim charitas interficitur. Sed nolle cum *frumentis occultis* & palea obrutis communionem habere, eaque ſpernere & negligere, neque pro illis quicquam facere, neque veritatem aſſerendo, neque perſecutionem ſuſtinendo, id demum contrarium charitati eſt. Ex quo perſpicuum eſt, poſſe fieri, ut tacendo & *tolerando malos* (ſic enim loquuntur;
quum

quum laus ſit, *Non potes ferre malos*, Apoc.2:2.) non exerceatur charitas. Si ea charitas eſt; quare Chriſtus non ſiluit, nec Apoſtoli ſiluerunt? ſed potius utrique loquendo occaſionem dederunt hoſtibus Deum blaſphemandi? unde dicitur, *Zelus domus tuæ comedit me: Opprobria tua in me reciderunt*. Pſal. 69. *Non tacui, non abſcondi in corde meo juſtitiam tuam.* Pſal. 40: 10. 11. *Credidi, ideo locutus ſum*. Pſal. 116. 2. Cor. 4:13. Quæ quum ita ſint, non debemus committere, ut probabilitatibus & falſo fuco charitatis nos patiamur decipi, ut putemus nos bene fungi officio charitatis, quando errantes ſinimus errare; & illos ſchiſmaticos ac charitatis expertes vocemus, qui nos non ſinunt in erroribus noſtris emori. Diſtinctius igitur de hiſce dicendum eſt, & explicandum, quæ cauſa juſta eſſe poſſit ſecedendi; & quæ non: ut deinceps poſſimus requirere, an iſtiuſmodi cauſa extiterit, vel etiam à ſcripturis extitura fuiſſe prænuncietur. Imprimis teſtatur Euangelium, verbum Dei non eodem modo excepturos omnes; paucos futuros fuiſſe, qui id reciperent in bono corde. Matth. 13: 19. 20. 21. 22. Unde & Eſaias dicit cap. 53: 1. *Quis credidit audi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tui noſtro h. e. verbo audito à nobis, *& ſuper quo brachium Domini revelatum eſt?* Rom.10:16. *Non omnes obediverunt Euangelio.* Inter illos verò, qui *cor bonum* habent, neceſſariò confitendum eſt, multos *adhuc carnales* eſſe & q. *pueros* in Domino, nec poſſe *adultos* ſtatim ac *ſpirituales* nuncupari. qui, quum Chriſtum & Euangelium & verba fundamenti ſive regulæ fidei ſuſcipiant, tamen cum illis habeant ſua *phantaſmata*, ut loquitur Auguſtinus. propter quæ tamen hoc *bonum*, quod habent, & amor ac timor Dei *non vacuatur*; *Deo ipſis* vel *revelante, quod aliter ſapiunt*, vel condonante, quia certe amant veritatem, etiamſi hallucinentur & errent & peccent etiam. Concedendum etiam eſt, *zizania* in *agro Domini*, hoc eſt, *mundo* (ubique enim Deus Eccleſiam ſuam habere voluit; non tantùm in una gente) *in medio tritici* extitura fuiſſe. Sed & illud extra controverſiam poni debet, *ſatorem zizaniorum* eſſe Diabolum, & zizania eſſe ſemen Diaboli, & per ea Diabolum quæſiviſſe aliquid efficere, quod ad detrimentum magnum Eccleſiæ & profectum regni peccati pertineret: &, ea ſeminata fuiſſe, *dormientibus hominibus* & ſervis

Patris-

Patris familias officium facere negligentibus. Concedendũ etiam eſt, non fuiſſe permiſſum ſervis *colligere zizania* & ejicere de medio tritici, ne forte triticum ſimul evellerent. Clarum autem eſt, per *zizania* non ſignificari omnis generis peccata facientes, neque omnis generis verba ſcandaloſa loquentes. Nam in his, qui peccata cum ſcandalo faciunt, & verba inutilia cum ſcandalo loquuntur, zizania ſunt: quippe quis dubitet, factis & verbis malis zizania cognoſci? Certe occultos hypocritas & tamen viventes Chriſtianorum more & loquentes Chriſtianorum verba non judicant ſervi Patris-familias *zizania*, ſed ſperant eſſe *frumenta*. Porrò neque vetantur à patrefamilias ſpinas, carduos, venenatas herbas tollere de medio, ſed *zizania*, quæ poſſunt videri triticum, ne fortaſſe, dum conantur tollere zizania, tollant triticum. Ex quo facile eſt intelligere, id genus errores, qui poſſunt eſſe in verè amãtibus Deum & Chriſtum, ſed adhuc pueris, aut ſaltem in ea parte pueris (nã quotuſquiſq; etiam ſanctiſſimorum & doctiſſimorum patrum eſt, qui non alicubi ſit puer?) tolerandos fuiſſe; licèt certum eſſet, multos talibus erroribus imbutos eos ut fun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

damentum tenere & veritatem ignorare, & ſic revera *zizania* eſſe, non *triticum*. Tolerandos autem fuiſſe propterea, ne injuria fieret tritico, & amantes Deum damnarentur: quum nempe illi errores non primum inciperent apparere hîc & illic, ſed in toto agro Domini. Etiamſi autem tales errores tolerandi eſſent fidelibus, ut ii, qui eos haberent, non expellerentur ex Eccleſia, aut fideles ab iis, qui eos foverent, non ſtatim recederent: tamen non fuerunt ita tolerandi, ut etiam permitterentur doceri (quemadmodum Eccleſiæ Thyatirenſis angelus culpatur, quod ſinat Jezabelem docere) aut ut non reprehenderentur & per doctrinam veritatis corrigerentur. Quod etiam Auguſtinus multis locis docet. ut lib. 2. contra Epiſt. Parmen. c. 1. *Quiſquis ergo vel quod poteſt arguendo corrigere, vel, quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat, hic eſt pacificus* &c. & c. 20. *Non communicare eſt non conſentire; quod propter Eccleſiæ diſciplinam parum eſt, niſi etiam redarguantur, ut corrigi poſſint. Sed hæc ſalva pace facienda ſunt, & quantum admittit officium ſervandæ unitatis, ne ſimul eradicetur & triticum.* & c. 21.

Aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Aliud eſt non facere, aliud non communicare i. e. non conſentire facientibus, aliud etiam redarguere. qui non facit malum, nec facienti conſentit, & facientem arguit, firmus atque integer inter iniquos tanquam frumentum inter paleas converſatur. Nominatim *luctum non iram* requirit, lib. 3. c. 1. Neſcio tamen, an hîc probare poſſimus, quod idem dicit. c. 2. *Neque enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cum ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat, quam dolor & gemitus, ut per illud ſignum, quod Ezechieli ſancto revelatur, illæſi evadere ab illorum vaſtatione mereantur.* Niſi enim hæc accipiantur de illa correptione, quæ ſit conjuncta cum *conſilio ſeparationis*, ut ipſe mox dicit, & ſi tam laxe ſumantur, quaſi ſufficiat in publicis & communibus malis domi mœrere, & non etiam neceſſe ſit publicè *lugere*, πενθεῖν (quod habet teſtationem doloris ac moleſtiæ) certè probanda non ſunt. Quanquam enim pauci non poſſint hoc efficere redarguendo, ut zizania expellant; tamen cum omni manſuetudine debet fieri admonitio eorum, qui errant & peccant: ne

deſerantur pii gementes, vel etiam ſimpliciores ſeducantur, & putent, ſe eſſe frumenta, quum ſint zizania, vel etiam blaſphemetur nomen Chriſti, & iis, qui intrare debebant, quoſque ad *æmulationem excitare* debebamus, oſtium Eccleſiæ occludatur per mores malos & errores: quibus proculdubio *ſapientia* myſterii occultatur. Neque hîc debet piis obſtare illa cogitatio, ſi continuetur redargutio, fore, ut irritentur *errantes* ſive *zizania*, & frumenta proterant, expellant, ſeque ab illis ſeparent. Quamvis enim optanda ſit piis illorum correctio, tamen, ſi conſequatur illorum furor, ut ſanos à ſe ſeparatos velint, in mentem venire debet piis, quid dixerit Apoſtolus ad Galatas cap. 5: 12. *Vtinam etiam ſe abſcindant, qui vos non ſinunt quieſcere!* Certum igitur ſit, abundantibus zizaniis, &, ut fit, (imprimis quando etiam illi, qui timent Deum, & bonam conſcientiam quærunt, & non poſſunt in iis, quæ dicuntur & fiunt, bonam conſcientiam habere, muſſant, & nihil niſi ingemiſcunt) adoleſcentibus magis magiſque (vix enim fieri poteſt, ut error in initio conſiſtat & non procedat. Parit error διαλογισμοὺς, & facit conſequentias, & ſapien-

ſapientia videri affectat) non eſſe imperium charitatis & fidei tacere, ſed *loqui:* ſed cum omni humilitate, modeſtia ac manſuetudine. Aug. l. 2. contra literas Petiliani c. 68. *Bellum ſpiritualium eſt illa in charitate correptio, gladius eorum ſermo Dei eſt.* Atque is etiam plebibus imputat, quod ſeductores loquantur inania. De baptiſmo lib. 3. c. 19. *Nec ea etiam ſibi ipſi arrogarent, niſi à plebibus ſeductis viciſſim ſeducerentur, cum eis creditur & tales honores deferuntur; ut per eos habeant poteſtatem talia dicendi, & ſibi talia vindicandi: ut error eorum veritas appelletur & ſcelus eorum juſtitia putetur propter ſacramenta & ſcripturas, quas tenent ad ſpeciem, non ad ſalutem.* Nam, qui tacent, quum vident proximos ſeducere & ſeduci &in ignorantia verſari, non faciunt legem charitatis, quæ jubet χαρίσματα, quæ accepimus, membris unius corporis impendi. Rom. 12: 4. 5. 6. Quid porro? Si redargutionem ſequatur obſtinatio, aut ſi error eò uſque excreſcat, ut etiam pro lege habeatur, qua non tantum ſinguli ſe putent adſtrictos, ſed etiam eos, qui errorem vident, cogant eadem facere & dicere, & veritatem non loqui; quid ſuadebit charitas? Per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ſpicuum enim eſt, quod non fit in fide & charitate, peccatum eſſe. Hîc ego reſpondeo non meis verbis, ſed Auguſtini in lib. 3. contra Creſconium Grammaticum c. 38. *Nunquid aliqua ſacramenta inſtituerunt traditores, in quibus baptizarer? Nunquid aliquos libros de facienda vel imitanda traditione poſteris condiderunt, & eorum tenemus proſequimurque doctrinam? Quod ſi feciſſent, nec ſibi communicare paterentur, niſi eos, qui illa legerent, approbarent, ipſi ſe ab Eccleſiæ unitate dividerent. In quorum diviſione me ſi videres, tunc me dicere deberes eſſe in Eccleſia traditorum.* &c. *Quod ſi ſua peſſima de facienda traditione præcepta conſcriberent, nec tamen extra Eccleſiam ſua propria congregatione colligerentur, zizania propterea computarentur, quorum cauſa frumenta non recte deſererentur.* Nempe tamdiu, quamvis cum gemitu & luctu & manſueta correptione, retinenda eſt ſocietas unius cœtus, quamdiu ſperare poſſumus, eſſe in eo cœtu, qui ament Deum & velint verbo Dei obedire, & immanere fundamento (utut necdum intelligant, ſe jure corripi, & corripientes putent errare) at non propterea, ut retineamus eam ſocietatem

tem corporalem cum errantibus, qui ſunt fortaſſe oves Chriſti, cogimur dicere, quæ falſa ſunt, & facere, quæ novimus eſſe mala: qualia ſunt, inter alia, actus ſuperſtitioſi & idololatrici. Nam non poſſumus ex fide & charitate *idolothyta comedere.* Apocal. 2:20. Cæterum, invaleſcentibus erroribus, quid peccant pii, ſi inter ſe privatim congrediantur in nomine Chriſti, & inter ſe colloquantur? Malach. 3:17. *Tunc collocuti ſunt timentes Dominum quiſque cum proximo ſuo, & attendit Dominus & audivit, & ſcriptus eſt liber commentarius coram ipſo pro timentibus Dominum & æſtimantibus nomen ejus.* Matth. 18:20. *Vbi duo vel tres coacti fuerint in nomen meum, ibi ſum in medio ipſorum.* Numquid hoc illis oberit & illos collocabit extra Eccleſiam, quòd non ibidem ſecum videre poſſunt omnes oves Chriſti; illas imprimis, quæ, *ſalva charitate*, & obedientia erga Chriſtum, & fide fundamenti, *aliquid inutile docent* (Auguſt. 4. de baptiſmo cap. 11.) aut diſcunt; & *bona membra, quæ in petra radicata ſunt & in aliquo non rectè ingrediuntur* (idem ibid.) ſed adhuc cum errantibus ſunt, *neſcientia profunditates Satanæ?* Apoc. 2:24. Numquid, inquam,
hoc

hoc illos ab eis ſeparat, quòd cum iis, cum quibus eſſe deſiderant, & pro quibus etiam ſanguinem fundere parati ſunt, eſſe non poſſunt? an potiùs eos cum illis conjungit, quòd *Chriſtus eſt in medio ipſorum?* Quòd ſi enim Chriſtus non eſt, niſi ubi etiam zizania congregantur, quare dicitur de temporibus novi Teſtamenti, *In illo die*, *ait Dominus*, Deus *exercituum*, *vocabitis quiſq; alterũ ſub vitem & ſub ficum?* Zach.3:9. Neque enim, puto, hoc eſt proprium temporis regni Chriſti, ut ſub vite & ficu ſedeant homines vel una epulantes vel quidvis fabulantes; ſed quòd non opus habent convenire ad templum & montem certum, ſed ſedentibus coram Domino ſub vite & ficu, ut in nomine ejus colloquantur, non dicentes aliis, *Recede à me*, *quia ſanctus tibi ſum* (Eſ.65:5.) Dominus præſto eſt, & venit ad illos & ſe illis videndum præbet, & cum illis manſionem facit. Quòd ſi hoc illis non obeſt, quò minùs ſpiritu unum ſint cum iis, qui ad illos, propter inutilem opinionem, non accedunt; quomodo illis oberit, ut non ſint unum cum ovibus Chriſti, quas ignorant, quæ errantes nondum effugerunt, quòd ab errantibus propelluntur &

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

cum illis eſſe non poſſunt, quia, ſi velint cum iis eſſe & comedere, coguntur ea dicere & facere, quæ in fide facere & dicere non poſſunt? Et an propterea eorum non erit verbum Dei & ſacramenta ejus, & revelatio & doctrina & παράκλησις, quia *hæc ſibi vendicant errantes* (ut rurſus cum Auguſtino loquamur) qui ſeducunt plebes & ab iis viciſſim ſeducuntur? Certè audivimus Auguſtinum docentem, quòd eorum ſint Sacramenta Dei, qui ſunt in petra, h. e. in Chriſto & æquè precioſam fidem cum Petro habent, &, ut paucis rem dicam, ſic credunt in Chriſtum, immediatè, ut Petrus, (qui eſt *typus Eccleſiæ*) & credendo amant Chriſtum & fratres ſuos, quos videre in uno loco poſſunt, & quos in eodem loco videre non poſſunt, ac pro his, imò pro ovibus, quæ adhuc alibi ſunt, laborant verbo, prece, paſſione, ut adducantur, & ut accedentibus obex nullus oppoſitus ſit.

Videor intelligere ex dictis, te ita cenſere, eſſe quandam neceſſariam ſeceſſionem; quæ non tantùm non contraria ſit charitati, ſed etiam lege charitatis ſit imperata. De ea re cupio etiam amplius edoceri, ut perſpiciam, quid propriè ſit ſchiſma fa-

cere;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

cere; & quis hujus culpa ſit reus. Reſp. Exemplum hujus ſeceſſionis eſt tota Eccleſia Chriſtiana. Omnes enim Iſraëlitæ, quotquot crediderunt in Chriſtum, & omnes, qui ex gentibus converſi ſunt ad Chriſtum (præter eos ex Iſraëlitis aut gentibus, qui Nazaræi olim vocitati ſunt, qui præter baptiſmum etiam ſuſceperunt circumciſionem) coaluerunt in unum corpus, & cum Judæis nullam habent congregationis ſocietatem. Et hujus rei culpa non eſt in Chriſtianis, ſed in Judæis ipſis; de quibus dicit Eſaias cap. 66: 5. *Fratres veſtri, qui ſeparant vos.* Et factum eſt illud divino judicio: quod pronunciavit Moſes Deut. 29:20. *Non volet Dominus condonare ipſi. Nam tum fumabit ira Dei & zelus ejus in virum hunc & ſeparabit eum ab omnibus tribubus Iſraël.* Et, ut intelligas, non eos ſeparatos eſſe à tribubus Iſraël, qui exceſſerunt Hieroſolyma & ex *terra*, ſed eos, qui manſerunt Hieroſolymæ & in *terra*, dicit Moſes verſ. 22. venturam ætatem poſteriorem & peregrinos venturos & viſuros *plagas terræ illius*, & Deum glorificaturos. Atque etiam diſcipulis Chriſti multis in locis præceptum eſt, ut ſe ſeparent ab illis, qui ſchiſmata faciunt. Ergo

go non omnes, qui ſe ſeparant, ſchiſmata faciunt; ſed qui pios ſecedere cogunt. Rom. 16:17. 18. *Rogo* vel hortor *vos, fratres, ut conſideretis eos, qui diſſenſiones & ſcandala præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & recedite ab illis. Tales enim Domino noſtro Ieſu Chriſto non ſerviunt, ſed ventri ſuo: & per ſuaviloquia & benedictiones ſeducunt corda ſimpliciũ. Diſſenſiones præter doctrinam* faciunt, ſine dubio, qui non *idẽ loquuntur* 1. Cor. 1:10. ſed aliud *principium*, aliud *nomen* (1. Cor. 1:12.) aliud *fundamentũ* ponunt. Qui autem volunt aliquid recipi, quod non demonſtrant ſimul cum Scripturis receptũ eſſe à diſcipulis Apoſtolorum, & volunt ſibi non demonſtrantibus credi, & non niſi illa conditione cum diſcipulis Chriſti communicare volunt, ſine dubio aliud principium & aliud fundamentum ſtatuunt, & diſſenſiones faciunt præter doctrinam ab Apoſtolis traditam primis Chriſtianis: ideoque ab illis recedendum eſt. Thomas: *Eorum doctrinam & conſortia fugiatis.* 1. Cor. 5: 2. *non luxiſtis, ut tolleretur ex medio veſtri, qui hoc facinus fecit.* v. 11. *non miſceri, non una comedere.* c. 16:22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,* neque ut amicus

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ejus agit, *anathema ſit.* 2.Cor.6:14. *Nolite jugo uno conjugari cum infidelibus.* 2.Tim.3:5. *& hos averſare.* 1.Joh.5:21. *Filioli, cuſtodite vos ipſos ab idolis.* Confer 1.Cor.10:21. 2.Johan.10. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, ne accipite eum domum, &, Ave, ei ne dicite.* Apoc.2:20. *Habeo contra te, quòd ſinis mulierem illam Ieſabel, quæ ſe dicit prophetiſſam* (h. e. Spiritum Sanctum habere ad docendum indemonſtrabilia ſine errore) *docere & errare ſervos meos, fornicari & idolothyta comedere.* Apoc.18:4. *Exite ex illa, popule mi.*

*Noſti, quomodo Auguſtinus hunc locum interpretetur & alii patres. Auguſtinus de loco Eſ.*52:11. *ſic dicit lib.*3. *contra Epiſt. Parmeniani:* Exit inde, ut ſalva ſit ejus cauſa apud Deum, ſi etiam diſciplinam corripiendi & arguendi ſalva pace non negligat. Nam, qui vult corporaliter quaſi manifeſtos malos deſerere, ſpiritualiter deſerit latentes bonos, quos inexpertos & incognitos cogitur accuſare, dum ſeparationem ſuam conatur defendere. *& breviculo Collat. diei tertii, c.*4. Exite, — h. e. diſcernamini aliter vivendo, & immunditiæ ne conſenſeritis. *Et Primaſius ad illud Apocalypſeos:*

pſeos: Non utique diſceſſu corporis, ſed diſſenſu æquiſſimæ voluntatis rectus non commiſcetur pravis. *Vel etiam illud, quod dicitur de Babylone*, Exite ex illa, popule mi, *de mundo hoc pravo & perverſo intelligendum eſt: aut gentilitate idololatriam diabolicam exercente; ut in diebus primorum Cæſarum.* R. 1. Si animo noſtro fingamus, Diabolum id operam daturum fuiſſe, ut Eccleſiam Chriſti in regnum ſuum converteret, quid putabimus eum aliud ſuaſurum fuiſſe hominibus, quàm 1. ut non diligenter attenderent ad myſterium fidei, & ad regimen à Chriſto inſtitutum: & putarent, aliquid dictum eſſe præter ea, quæ ſcripta ſunt, quæ omninò ſint obſervanda: & veritatis ſignum eſſe conſenſum plurium. 2. Non poſſe hominem ſalvum fieri, qui non congregetur etiam cum errantibus & malis. 3. Correptionem, ſi error ſociam habeat multitudinem, non ſalubriter fieri. 4. Babylonem, quæ toties prædicitur, non eſſe partem aliquam multitudinis nuncupatorum Chriſtianorum. 5. Non dari ſeparationem quoad locum ab illis, qui in illa multitudine ſunt falſi fratres: ſed tantùm quoad animum. 6. Schiſmaticos eſſe, qui non cum

illis

illis congregantur. II. Quod ad locum Eſaiæ cap. 52. attinet, ſatis clarum eſt, vel textum inſpicienti, agi de relictione Hieroſolymæ & Synagogæ: & ſic Apoſtolos feciſſe. III. Quod ad locum Apocalypſeos attinet, video, antiquos ambigere. Alii enim per Babylonem intelligunt *mundum* (cui tamen annumerant falſos fratres, ut Primaſius ad Apoc. 16: 19.) & *exitum* intelligunt ſpiritualem: alii intelligunt imperium gentile; &, ſine dubio, intelligunt mandari non tantùm diſſenſionem animi, ſed etiam fugam conſortii, imò fugam de civitatibus, in quibus perſecutio fiebat. Per illos igitur, qui ipſi certi non ſunt, certiores fieri non poſſumus: utrum *exitus* notet ſeceſſionem à conſortio, an tantùm diſceſſionem per diſſenſum. Nemo tamen illorum dubitavit, quin, ſi eveniret, ut in aliqua parte ejus multitudinis, quæ dicitur Chriſtiana, ſive magna ſive parva, cogerentur fideles communionem ſacramentorum mercari approbatione mendaciorum & abnegatione veritatis, atque imitatione factorum, debuerint fideles ab illorum conſortio ſeparari; & quin, ſi hoc factum eſſet, iidem fideles neceſſariò ſecedentes non ſint cenſendi injuria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

injuria afficere fideles errantes, ſiqui forte cum tyrannis & ſeductoribus remanerent. IV. Satis certò poteſt conſtare, quòd Babylon, ex qua prophetia fideles jubet exire, ſit civitas quædam terrena habens nomen Eccleſiæ Chriſtianæ, cui aliquando pii permixti futuri erant, & ex qua deinde aliquando pii debebant exire, fugientes conſortium ejus.

Si hoc ita eſt, ergo falſum eſt, quod dicitur in parabola de zizaniis, in meſſe demum per angelos ſeparatum iri zizania à frumento. Hoc enim notum eſt à Cypriano & Auguſtino ſic accipi; quod meſſis ſit dies ultimus. Quia etiam Chriſtus dicit, meſſem *eſſe* τὴν συντέλειαν τοῦ αἰῶνος finem ſeculi. *Matth.* 13:39. 40. 41. 42.

R. In die reſurrectionis & judicii ſeparationem futuram eſſe hœdorum ab ovibus, legimus Matth. 25: 31. 32. 33. 34. Verum, quomodo per angelos hoc futurum ſit, neſcio: niſi forte quòd angeli mandato Chriſti certos ex omnibus gentibus ferent in locos ſuos. Sed in parabola Matth. 13:39. 49. συντέλειαν τοῦ αἰῶνος *conſummationem ſeculi* explicare per diem judicii & reſurrectionis, valde violentum eſt. Quid enim impedit, ne συντέλεια τοῦ αἰῶνος *clauſula ſeculi* ſignificet *ultimos dies*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

dies ſeculi? Quid cauſæ eſt, cur intelligatur per eam ſolus dies noviſſimus? Johannes prima Epiſtola c. 2:18. jam tum dicit, *Vltimam horam eſſe.* Quod ſine dubio non de ultima parte priorum dierum intelligit, ſed de ultima parte ſeculi, quod fluit uſque ad *manifeſtationem Chriſti*, de qua cap. 3:2. Nam eos dies intelligit, quibus venturus erat Antichriſtus. Is autem in ultima parte ſeculi venturus erat. Paulus 1. Cor. 10: 11. *fines ſeculorum* vocat dies prædicationis Euangelii. Daniel 12: 4. *tempus finis* καιρὸν συντελείας dicit, quo prophetia ipſius in apricum erat ventura; quum *multi ſcrutaturi* erant, & *cognitio abundatura.* At eidem Danieli dicitur v. 13. ἀναστήσῃ εἰς κλῆρόν σου εἰς συντέλειαν ἡμερῶν, *ſurges in ſortem tuam ad clauſulam dierum.* Ergo ſanè reſurrectio pertinet ad ſeculi conſummationem; ſed cur non tempus ultimum ſeculi, quod fluit inde à templi & politiæ Judaicæ abolitione, & rurſus illius temporis pars poſterior diverſis reſpectibus *conſummatio ſeculi* appellari poſſit, nulla apparet ratio. Tempus libertatis Novi Teſtam. eſt *conſummatio ſeculi* in comparatione præcedentium temporum: tempus Antichriſti dicitur καιροὶ ὕστεροι

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ὕστεροι *dies poſteriores* 1 Tim. 4: 1. & ἡμέ-
ραι ἔσχαται *dies poſtremi* 2. Tim. 3: 1. in com-
paratione dierum primorum, quibus
Euangelium prædicatum eſt; & quia
proxime revelatio Antichriſti antecedit
regnum, quod Chriſtus novo quodam
modo occupaturus erat. Apoc. 11: 15. 17.
Rurſus dies conſequentes revelationem
Antichriſti multo magis appellantur *con-
ſummatio ſeculi.* Denique etiam ipſe
rerum præſentium finis ſic appellatur
Matth. 28: 20. Sed eſto, ante ultimum
diem non *colligantur omnia ſcandala ex
regno Chriſti*, an inde ſequitur, ante
ultimum diem nulla ſcandala ex *regno
Chriſti*, hoc eſt, Eccleſia, quę ipſum ſolum
regem agnoſcit, eliminanda eſſe? Quo-
modo igitur Judæi infideles à fidelibus ſe-
parati ſunt? Quomodo tot hæretici,
Pauliani, Arriani (nec pauci hi fuerunt)
Manichæi, & tot hæreticorum ſyrmata
ab Eccleſia ſeparata ſunt? Quomodo
tota Eccleſia Græca facta eſt ſchiſmatica;
ſi fides eſt Pontificiis ſcriptoribus. Dices,
Græcos & nos, ut & Donatiſtas olim,
egreſſos eſſe, unde non deberemus egre-
di. Saltem id clarum eſt, futuram fuiſſe
ſeceſſionem, & non una manſuros fuiſſe
ſemper in eodem cœtu etiam illos, qui
olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

olim in uno cœtu fuerant, & qui (ſi nec Græcis nec nobis ulla cauſa ſecedendi fuit) in eodem cœtu manere debuerant. Ergo non hoc vult dicere Chriſtus, nullam diviſionem & ſeceſſionem fore ante ultimum judicium. Nam, ſi verum eſt, ſervos Chriſti nulla ſcandala tollere ex regno Chriſti, ſi ſcandala omnia relinquuntur inter triticum uſque ad diem noviſſimum, & tum demum angeli incipiunt colligere ſcandala, non tantùm non debuit fieri ſeceſſio, ſed nec futura fuit. Voluntas enim Domini eſt, ut zizania una cum tritico creſcant ad illum diem, & ut angeli ea colligant, non homines. Porrò in Pſalmo 50:4.5. *Deus ex Tſijone effulgens clamat ad cœlum & ad terram ad judicandum populum ſuum: Colligite mihi pios meos* ſive ſtudioſos mei, *qui faciunt fœdus mecum apud ſacrificium.* An igitur angeli hactenus ceſſatores fuerunt, & non collegerunt eos, qui *fœdus faciunt cum ipſo per ſacrificium?* Etiam Chriſtus dicit, Matth. 24:31. *filium hominis miſſurum angelos ſuos cum buccina & voce magna, qui collecturi ſint electos ejus à quatuor ventis, ab extremis cœlorum uſque ad extrema illorum.* Quod non demum in ultimo die inci-

piendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

piendum eſſe, clarum eſt ex Eſ. 11: 11. 12. *Et erit in die illo, admovebit Dominus ſecundò manum ſuam ad acquirendum RELIQVIAS populi ſui, — & attollet ſignum ad gentes & colliget propulſos Iſraëlis, & diſperſa Iehudæ congregabit ex quatuor oris terræ.* Niſi putamus, angelos quidem jam tum ab initio regni Chriſti id egiſſe & in hoc incubuiſſe, ut colligerent probos; ſed neutiquam, ut abſtraherent & excluderent malos: atque adeò, quæ diſgregationes factæ ſunt, ſine angelorum opera factas eſſe. Certè enim boni à malis ſeparati ſunt. Nam, in quibus culpa hæret diſceſſionis, mali ſunt; ſaltem hactenus, quòd ſeparationi cauſam dederunt. A quo malo mali & ſcandaloſi nominari poſſunt. Certè pro malis habent eos omnes, qui ſecum non congregantur, Romani. Verumenim verò omittamus iſta omnia. Hoc tandùm videamus, annon, quemadmodum multi hæretici ab Eccleſia, *regno Chriſti*, ſeparati ſunt, ita Antichriſtus & ejus populus à regno Chriſti fuerit ſeparandus. Si enim aliquando Antichriſtus deſerendus fuit, non mirum erit, ſi aliquando inveniatur ipſe & cœtus ejus derelictus; neque culpandi ſunt, qui eum dereliquerunt.

 Chriſto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Chriſto datæ ſunt gentes in hæreditatem & fines terræ in poſſeſſionem. Habet regnum in gentibus. Plures ſunt filiæ ſterilis & derelictæ, quàm ejus, quæ habuit maritum. Hæc & ſimilia teſtimonia oſtendunt, Chriſtianam Eccleſiam non coarctatum iri ad unum angulum; neque fore Synagogâ minùs copioſam & abundantem filiis. Ergo, quum pauci à pluribus ſeparantur, clarum eſt, illos paucos non poſſe eſſe Eccleſiam; quia ſic eveniret, ut Eccleſia non eſſet diffuſa per totum orbem, & ut vera Eccleſia cedat numero Iſraëlitarum. Hac argumentatione Auguſtinus Donatiſtas obruit, & Bernardus Albigenſes adortus eſt. R. Potuerunt Donatiſtæ hoc argumento refelli, qui putabant ſe ſolos in Aphricæ angulo relictos eſſe immunes à culpa traditionis, atque adeò ſolos Eccleſiam eſſe: non tamen hoc argumentum ullum hominem pium commovere poteſt, ut *ſe ſubjiciat* multitudini malum imperanti. Hoc enim eſt *adorare beſtiam.* Quemadmodum id Primaſius explicat lib. 5. in Apocal. c. 15. ad c. 20:4. *Ad eandem beſtiam pertinent non ſolùm apertè inimici nominis Chriſti & ejus glorioſiſſimæ civitatis, ſed etiam zizania, quæ de regno ejus, quod eſt Eccle-*

ſia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ſia, in fine ſeculi colligenda ſunt. Et qui ſunt, qui non adorant beſtiam nec imaginem ejus, niſi qui faciunt, quod dicit Apoſtolus, Ne ſitis jugum ducentes cum infidelibus? Non adorant enim eſt Non conſentiunt, non ſubjiciuntur. Abrahamo promiſſum erat, fore *ſemen* ipſius *inſtar ſtellarum cœli:* & tamen non metuit Elias dicere, *Ego ſolus relictus ſum.* Neque enim aliquis pius ſe in aliquo loco aut regno ſolum videns non conſentientem vulgaribus erroribus, & ſuper eo ingemiſcens, ac videns ſe excludi, vel ſe communicare cum reliquis ſine approbatione aut patratione peccati ipſorum non poſſe, cogitur propterea credere, promiſſionem Dei de multiplicando ſemine Chriſti intercidiſſe, aut ſe ſolum Filium Dei eſſe. Poteſt enim ſecurus eſſe, vel in aliis partibus terrarum eſſe, qui veritatem ament & norint; vel ſperare, ſingulos illorum, qui ipſum ſecludunt, neſcire quid faciant, & ſuos fratres eſſe, dummodò retineant principium & verba fundamenti. Jam enim ſupra adſtruximus & ex Scripturis & ex Auguſtino, poſſe eum, qui amat Deum, per fragilitatem carnis fundamento ſuperſtruere ſtipulam, & ſervari, ſed quaſi per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ignem. Pius autem, qui ſic cogitur eſſe ſolus, & ſic animatus eſt, corpore quidem ſeparatur à fratribus & ſententia, ſed non amore: per quem & videre illos cupit, & illis correptionem & paſſionem ſuam & preces impendit. non dubitans, Deum ſuas promiſſiones effecturum: licèt fortaſſe non intelligat, quid de hoc vel de illo tempore Deus promiſerit. Quemadmodum & Auguſtino nemo imputaverit, ſi is illo tempore, quis ſtatus Eccleſiæ Novi Teſtamenti ordine futurus fuit, non ſcivit ſicut illi *multi*, qui *in tempore finis ſcrutaturi ſunt, quum abundabit cognitio.* Poſteriores enim in operibus Dei meliùs vident, quid ſecundùm verbum Dei factum ſit, quàm, qui præcedunt, quid futurum ſit. Multa enim dicta ſunt in prophetiis indefinitè & ænigmaticè, quæ non niſi per implementa certa, qualia propriè & diſtinctè ſint, noſcuntur. Et Agnus accepit librum clauſum ſeptem ſigillis, neque ille liber plenè legetur & cognoſcetur priùs, quàm illum *Angelus* ille *fortis de cœlo deſcendens in manu ſua teneat apertum, & ſuis comedendum* præbeat. Apoc. 10: 1. 9. Quæ quum ita ſint, temere facit, qui ex parte prophetiæ, quam non ita intel-

intelligit, ut poſſit demonſtrare, eam uſque ad ſe (vel certè uſque ad illud tempus, de cujus hominibus & doctrinis quæſtio eſt) impletam eſſe, h.e. ut poſſit oſtendere, quid in prophetia de illa parte temporis dictum ſit & ſecundùm dicta factum ſit; conficit conſequentias non fundatas in Scripturis; ſive ut dicat, Multi credent Chriſto; Ergo hæc multitudo, quæ jam eſt, nullum habet vulgarem errorem, qui vel teneatur ab omnibus vel diſſimuletur à multis: ſive ut dicat, Hic ſolus eſt; Ergo non habet communionem cum illis, qui Deum amant. quod eſſet inſtar illius exſibilationis, de qua conqueruntur pii in Pſalmo 11. *Quomodo dicitis animæ meæ, Fugite in monte veſtro, avicula.* Atqui, inquit, *Ego ad Dominum confugio.* & Pſalmo 3: 2. 3. 4. *O Iehovah, quam multiplicati ſunt oppugnatores mei, multi ſunt qui conſurgunt contra me: multi dicunt de anima mea, Non eſt illi ſalus in Deo. At tu, Iehova, es clypeus pro me, gloria mea, & erigens caput meum.* Fac, multos & plurimos eſſe, qui dicant, *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ:* & unus dicat, *Ego ſum Chriſti* (quod potuiſſe ſeriùs fieri, oſtendit, quòd id maturè apud Corinthios factum eſt)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

an propter multitudinem, quæ dicit, *Ego ſum illius*; ille non eſt Chriſti, qui non dicit, *Ego ſum illius hominis*; & non habet communionem cum pueris in Chriſto, qui dicunt, *Ego ſum illius*; & neſciunt quid faciant: ſi non poſſit cum illis eſſe in uno loco, niſi cum illis dicat, *Ego ſum illius*? Cæterum, ut de Auguſtini & Bernhardi ratiocinationibus aliquid dicam, videntur illi in eo errore fuiſſe, quem Apoſtolus arguit in Corinthiis 1 Epiſt. cap. 4: 8. *ſine nobis* ἐβασιλεύσατε *regnum accepiſtis*. ſignificans, illos adhuc magnam cauſam habere metuendi, ne fortaſſe, quod alius pro alio contra alium intumeſcebat, ex eo magnum malum proveniret: neque enim eos adhuc regnum accepiſſe, ita ut omnes populi Eccleſiæ ſubjecti eſſent; ſed, antequam hoc fiat, multas eaſque graves afflictiones eſſe exantlandas. Quemadmodum dicitur Actor. 14: 22. *Per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei.* Eſt autem *regnum Dei* non tantùm ſtatus gloriæ, ſed etiam is ſtatus Eccleſiæ Novi Teſtamenti, quo non eſt Eccleſia niſi ſub Deo rege: non tantùm in oppoſitione principum, qui fuerunt ſub Veteri Teſtamento, ſed etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

etiam *paſtoris ſtulti* ſub Novo Teſtamento. Quod clarum eſt & perſpicuum ex Apocal. 11:15.17. ubi demum ſub tuba ſeptima audiuntur voces, quæ gratulantur, *omnia regna mundi eſſe facta Chriſti*; eumque *accepiſſe potentiam ſuam magnam & regnum capeſſiviſſe*. Unde intelligi poteſt, cujus temporis ſit, quod dicitur Eſ. 24:23. *Quum rex factus fuerit Dominus* (in oppoſitione ſiderum cœli & regum terræ, verſ.21.) *in monte Tſijon. & coram ſenioribus ejus* erit *gloria.* & Zach. 14:9. *Et fiet Iehovah in regem in totam terram. Illo die erit Iehovah unus, & nomen ejus unum.* Quod non priùs potuit fieri, quàm beſtia & pſeudopropheta conjecti eſſent in ſtagnum ignis. Apoc.19:20. Quamdiu enim beſtia adoratur, tamdiu non eſt Deus rex in tota terra, h.e. non ſubjicitur ipſi tota terra in hunc ſaltem modum, ut non dicat, eſſe aliquem præter Deum, cui debeant homines ſubjici propter ſalutem æternam. Quare etiam Chriſtus Matth. 24:14. poſtquam prædixiſſet ingentia certamina, & ἀνομίαν abundantem, dicit, *prædicatum iri Euangelium hoc regni* (quo nemo niſi Chriſtus rex nuncupari poteſt) *in toto orbe habitabili in teſtimonium*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

gentibus. De quo loco Auguſtinus loquitur lib. de unitate Eccleſiæ cap.16. *Sicut non eget interprete, Et prædicabitur Euangelium hoc regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Interrogatus enim Dominus de fine hujus ſeculi, cum quædam initia parturitionum dixiſſet, ait, ſed nondum ſtatim eſt finis. Finem autem futurum prædixit poſt prædicationem Euangelii in univerſo orbe in omnibus gentibus.* Quòd ſi Auguſtinus putavit, jam ſuo tempore omnes *parturitiones* præteriiſſe, & *Euangelium regni,* ita ut oportebat, ſine nomine humano, *prædicatum eſſe* per eos, qui Apoſtolos ſecuti ſunt, *in omnibus gentibus,* & *finem* prope eſſe; neque imminere ἀποστασίαν & ἀνομίαν: manifeſtum eſt, eum falſum & deceptum fuiſſe.

Res eò redit, ut mihi demonſtres ex Scripturis, Futurum fuiſſe, ut fideles haberent cauſam ſecedendi ab errantibus; & Babylonem *ſignificare civitatem quandam terrenam, nomen Chriſti præferentem, ex qua neceſſe fuerit pius aliquando exire, fugiendo conſortium ipſius. Meminiſti enim, te in ſuperioribus hæc vel demonſtraturum recepiſſe vel quærenda propoſuiſſe. Sed recordari te velim moniti Au-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Auguſtini, ne quid proferas, quod egeat interprete. R. Auguſtinus quidem rectè poſtulavit à Donatiſtis, ut non proferrent (intellige primo loco) *ea quæ egerent interprete, & unde convincerentur, quod de alia re dictum ſit, & ipſi illud ad ſuum ſenſum detorquere conarentur.* de unit. Eccleſ. c. 1. 6. Col. 546. edit. Baſ. 1542. Ideò eodem capite p. 544. ab illis poſtulat, ut priùs aperta proferant, quàm ambigua. *Nec ita*, dicens, demonſtrent Eccleſiam ſuam ex Scripturis, *ut ea colligant & commemorent, quæ obſcurè vel ambiguè vel figuratè dicta ſunt, quæ quiſque ſicut voluerit interpretetur ſecundum ſenſum ſuum. Talia enim RECTE intelligi exponique non poſſunt, niſi PRIUS ea quæ apertiſſimè dicta ſunt, firma fide teneantur.* Nullius dicti auctoritatem rejecit Auguſtinus; ſed flagitavit, ut ordo demonſtrationis ab apertis ad ænigmata procederet: neque ampliùs ex Scripturis aſſereretur, quàm ex illis demonſtrari poſſet, ſive in ſenſu indefinito & generali, ſive in ſenſu definito & ſpeciali. De ea re idem loquitur eodem libro cap. 5. p. 514. *Sed, quoniam multa in alios, vel ob aliud dicta, in quos volunt, & ad quos volunt, maledici plerumque con-*

vertunt; multa etiam propter exercendas rationales mentes figuratè atque obſcurè poſita per ænigmatis imagines vel ambiguitatis ancipitem ſenſum fallaci aliquando interpretationi conſonare & convenire creduntur: hoc etiam prædico atque propono, ut quæque aperta & manifeſta deligamus; quæ ſi in ſanctis Scripturis non invenirentur, nullo modo eſſet, unde aperirentur clauſa & illuſtrarentur obſcura. Non putavit Auguſtinus, eſſe quicquam in Scriptura, quod non *rectè intelligi atque exponi* poſſet; ſed, ſi non via atque ratione certa procedatur, & per aperta referentur clauſa, poſſe videri quædam fallaci interpretationi convenire. Non igitur calumnioſè & cavillatoriè agendum eſt in diſputatione, ut poſtulemus, ea non eſſe proferenda, tanquam teſtimonia voluntatis divinæ, quæ Deus voluit poſt alia & per alia intelligi. Hoc enim eſſet perinde, atque dicere, ea non ad utilitatem & inſtructionem noſtram, & ut ex eis voluntatem ejus intelligeremus, ſcripta eſſe. Quomodo Deum coarctabimus in leges noſtras, ut jubeamus eum, quæ intelligi à nobis vult, ita dicere, ut quivis, etiam inexercitatus, ea ſtatim & ſine aliorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

aliorum comparatione intelligat: aut negabimus, ea Deum voluiſſe intelligi, quæ poſt alia & per alia voluit intelligi? Quæ ſapientia eſt, poſtulare, ut, quod Deus de extremis temporibus dixit, id ſic dictum ſit, ut non præcedant ea, quæ ſunt priorum temporum, neque poſteriora à prioribus pendeant? Quæ modeſtia, velle, ut ſimul & uno loco dicta ſint, quæ Deus diverſis locis de iiſdem rebus loquens dixit & inter ſe conferri voluit? Quæ obedientia & fides, non velle σύνεσιν & *conſiderationem* adhibere iis, quæ Deus palam dicit σύνεσιν flagitare: ut quum dicit de Babylone Apocal. 17: 9 *Hic eſt intellectus, qui habet ſapientiam.* Quemadmodum de ſimilibus rebus dicit Hoſeas cap. 14:10. *Quis ſapiens? & conſideret hæc: prudens? & cognoſcat ea. Nam recta ſunt viæ Domini & juſti ambulabunt in eis & defectores offendent in eis.* Clarè dicit, ipſam Babylonem (eſt enim in eis, de quibus prophetia loquitur) ad hoc exiſtere, ut per eam explorentur juſti & ſapientes, attendentes ad verbum Domini, & manifeſtentur defectores verbum Dei contemnentes: qui in illis, quæ Deus dicit & facit, non niſi offenduntur. Sed nos ſanè ſtudebimus ea proferre, quæ & claram

claram habere videbuntur ſententiam & minimum laboris ad intelligendum.

Age, experiamur. Velim inprimis demonſtres, quid ſit Babylon, *quæ memoratur in Apocalypſi. Certum eſt enim, id, quod ea nomenclatura ſignificat, ſub Novo Teſtamento extiturum fuiſſe; & fidelibus aliquando dici,* Exite ex ea, popule mi. *Conſtituto autem, quid ea ſit, deinde conſiderandum erit, an debuerit ab ea fieri ſeparatio quoad conſortium. Tum quæremus, quando ea Babylon extitura fuerit: & an ea jam extiterit: &, ſi jam extitit, quæ illa ſit.* R. Eſto hic quæſtionum ordo. Et jam de *primo. Babylon eſt civitas magna*, h.e. ſocietas magna hominum ſingulari jure inter ſe copulatorum, referens ingenium & renovans inſtitutum primæ Babylonis, ſub Novo Teſtamento, *ſedens in beſtia* h.e. eam multitudinem, quæ *beſtia* appellatur, & dicitur *habere ſeptem capita & decem cornua*, ſibi ſubjiciens, *meretrix*, ſcortans à Sponſo Eccleſiæ; *mater fornicatorum & abominationum terræ*; ſe proſtituens & ad fornicationem ſeducens ornamentis ſuis; inimica agni & eorum, qui cum agno ſunt, quos impugnat per potentiam &

pote-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

poteſtatem regum, qui ſunt cornua beſtiæ.

Dudum acceptum eſt, per Babylonem *ſignificari certam urbem mœnibus circumdatam, & quidem Romam, quæ in ſeptem montibus eſt ſita, quæque tempore Iohannis habebat regnum in reges terræ. Apoc.* 17:18. *Ita Tertullianus lib.* 3. *contra Marc. & lib. contra Iudæos. Vide Bellarm. de R. P. lib.* 2. *cap.* 2. R. Verba angeli ad Johannem ſic habent. *Et mulier, quam vidiſti, eſt civitas illa magna, quæ habet regnum in reges terræ.* Quæ verba duplicem ſenſum ferunt. 1. Ea civitas, quæ nunc habet regnum in reges terræ, degenerabit in magnam illam meretricem. 2. Non alia civitas intelligitur per Babylonem & magnam meretricem, quàm illa, quæ habebit regnum in reges terræ. Uterque ſenſus bonus eſt. Sed ideò *civitas* hæc pomæriis Romanæ urbis non eſt includenda. Neque quicquam ad rem facit, quod Bellarminus affert de *ſeptem montibus*. Nam in Apocalypſi cap. 17:9. *montes ſeptem* non ſignificant præciſè tales montes, qualibus inædificatæ ſunt domus Romanæ urbis: ſed poſſunt ſymbolicè notare ſeptem magnas regiones. Et civitas Romana non

fuit

fuit alligata mœnibus Romæ. Cives Romani etiam in provinciis nati ſunt. Ita Paulus Tharſenſis Cilix civis Romanus natus eſt. Ad eandem *civitatem* pertinent, qui eodem jure utuntur, ubicumque ſint. Et *beſtia* non habitat tantum in ſeptem collibus Romanæ urbis. Et notum eſt, τὸ πόλις apud Græcos πολιτείαν ipſam quandoque ſignificare. Euſtathius ad Iliados ρ. οἱ δὲ παλαιοὶ φασὶ πόλιν μὲν τὴν πολιτείαν· ἄστυ δὲ τὸ τεῖχος. Ariſtot. polit. 1. ἡ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις. Thuc. lib. 7. ἄνδρες γὰρ πόλις, καὶ οὐ τείχη. Strabo lib. 8. p. 356. Στησίχορος δὲ καλεῖ πόλιν τὴν χώραν Πίσαν λεγομένην. ὡς ὁ ποιητὴς τὴν Λέσβον Μάκαρος πόλιν. Εὐριπίδης δ' ἐν Ἴωνι. Εὔβοι' Ἀθήναις ἐστί τις γείτων πόλις. καὶ ἐν Ῥαδαμάνθυι. οἳ γῆν ἔχουσ', Εὐβοΐδα πρόσχωρον πόλιν. Σοφοκλῆς δ' ἐν Μυσοῖς. Ἀσία μὲν ἡ σύμπασα κλῄζεται, ξένε. πόλις δὲ Μυσῶν Μυσία προσήγορος. Et Latini. Tacitus de moribus Germanorum tradit, eos *civitates* habuiſſe, *urbes* non habuiſſe, ſed ſparſim per agros habitaviſſe. Cæſar de bello Gallico lib. 1. *Omnis civitas Helvetia in quatuor pagos diviſa eſt.* Lib. 6. *Pariſii Senonibus civitatem patrum memoria conjunxerant.* Rutilius de Romana urbe.

Fecìſtì

Feciſti patriam diverſis gentibus unã,
Profuit injuſtis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Vrbem feciſti, quod prius orbis erat.

Sed hæc alii feliciùs. Nos interim etiam animadvertimus, Prophetas ænigmata & metaphoras amare. Ita myſticè *Civitas* dicitur, quod eſt quaſi civitas: *forum*, quod eſt quaſi forum. Niſi putes Cant.3: 2. 5: 7. *muros* ex lapidibus ſtructos, *fora*, & *plateas*, *vicos* domorum diſpoſitione intelligi. aut *ſanctam civitatem* vel *civitatem dilectam*, & *Hieroſolymam novam civitatem Dei de cœlo deſcendentem*, Apoc. 11: 2. 20: 9. 3: 12. eſſe textum quendam vel ordinem domorum materialium muris circumdatum. Igitur Apoc. 11: 8. *civitas magna*, *ubi Chriſtus crucifixus eſt*, eſt Romana dicio. Nam, quum Chriſtus pateretur extra Hieroſolymam, Judæa erat provincia populi Romani Syriæ contributa, ſub procuratore Cæſaris. Quicquid ſit, Romana civitas, quum *Babylon* dicitur, conſideratur in ea qualitate, qua habet imperium in reges terræ, non tantùm veluti tunc dominabatur per Cæſares, ſed veluti impoſterum etiam erat domina-

minatura per cives ſuos in omnibus populis ſibi ſubjectis, & aliquando per potentiam decem regum ipſi ſervientium. Neque poteſt negari, quin verba Johannis hoc indicent: Omni tempore, quo illa magna civitas, habens regnum in reges terræ, habitura eſt regnum in reges terræ, ita ut non tantùm imperet leges civiles, ſed etiam religionem, *Babylon* eſt. Ita civitas Romana, quum eſſet ſedes Draconis (Apocalypſ. 12: 3.) fuit Babylon: ita propinans populis doctrinam ſcortationis, & religionis legem dicens, eſt Babylon. Sed nobis ſatis eſt in hoc inquiſitionis initio, ex verbis Angeli didiciſſe, quòd ea ipſa ſocietas, quæ tunc habebat regnum in reges terræ, ſit, per διαδοχὴν & *ſucceſſionem*, ea ipſa, quæ demonſtrata erat, ut ventura, & magnæ meretricis axioma geſtura: ſive, quòd ſocietas ac corpus dominantium in illa urbe & per nomen illius urbis ac jure illius (quemadmodum princeps Romanus à Senatu lectus vel ab exercitu nominatus & à Senatu receptus fiebat dominus totius οἰκουμένης, ut non tantùm ſacra Scriptura, ſed & Polybius loquitur, & caput omnium, qui nomine Romani populi provinciis præerant) olim Babylon

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

lon & meretrix magna ſit appellanda. Quòd ſi & hoc in limine ponere nimium videtur, teneamus ſaltem, quòd Spiritus nos doceat, aliquam multitudinem ſociatam per caput aut capita ſua in mundo futuram fuiſſe cauſam defectionis & perſecutionis, eamque ſanctis non eſſe conſenſu & ſubjectione venerandam. Neque enim quiſquam dubitare poteſt, quin *civitas dominans regibus & populis* ſit multitudo ſociata per caput aut capita utens poteſtate imperandi, tanquam jure metropoleos, & ibi, ubi eſt metropolis illius imperii, & quacunq; illud imperium extenditur. Eſt in Scriptura laudabile nomen *civitatis ſanctorum* ſive *ſanctæ*, & rurſus abominabile nomen *Civitatis* ſimpliciter. *Civitas ſancta* eſt ſine dubio Eccleſia collecta ſub Chriſto capite. Nulla *civitas* ſine capite eſt; ſed *civitas ſancta* eſt *civitas magni regis, Dei, Chriſti*, neque alium regem, principem, præceptorem, aliud caput recognoſcit. *Civitas*, quæ *meretrix* eſt, ſine dubio oppoſita eſt *civitati ſanctæ*. & non poteſt non habere aliud caput, aliud fœdus, alias leges, aliam hæreditatem. Ea autem *civitas* ſimpliciter ſive κατ' ἐξοχὴν dicitur Num. 24:19. ubi dicitur opus Chriſti,

ſceptri

ſceptri ex Iacobo ſurgentis, eſſe *perdere ſuperſtitem* vel *ſuperſtes de Civitate*. & Hoſeæ 11:9. *Non intrabo in civitatem*. Quæ eſt illa civitas, in quam non intrabit Deus, niſi ea, ex qua populum ſuum exire juſſit? Juſſit autem exire ex Hieroſolyma & Babylone myſtica. Quòd autem Bileam dicit *reſiduum de civitate*, id forte ſignificat, Babylonem, quam perditurus eſt Chriſtus, eſſe reſiduum & q. traducem illius civitatis, quæ tum, quum Bileam illa diceret, ita poterat dici *Vrbs*, ut poſtea Roma κατ᾽ ἀντονομασίαν *Vrbs* appellata eſt, nempe *Babylonis*; vel ejus, cujus filios ut liberaret à jugo principum ejus Chriſtus de cœlo deſcendit; nempe Hieroſolymæ: vel etiam illius, quæ imperium habens in mundo magna & admirabilia locuta eſt contra Deum deorum per os principum ſuorum. Dan. 11:36. nempe Romę. Quę omnia, ut patet, inter ſe congruunt.

Poſito igitur, quòd Babylon, quæ dicitur πόλις μεγάλη *civitas magna, ſignificet multitudinem ſociatam per caput aut capita, eamq; dominantem multis populis, cuiq; reges tradant potentiam & poteſtatem ſuam, nondum cognoſcimus, cujuſnam generis illa ſit, utrum ſocietas hominum politico-*

ticorum ſive ſecularium, qui civili poteſtate utantur; an verò ſocietas principum alterius generis, quales erant, qui apud Iſraelitas שרי קדש *principes ſanctitatis ſeu ſanctuarii dicebantur.* Reſp. Vocatur hæc civitas *meretrix*. Jam verò non putem quenquam ita inſanire, ut poteſtatem politicam, ſive magna ſive parva ſit, ſive regia ſive *ἀριστοκρατικὴ* aut popularis, per ſe *meretriciam* autumet eſſe appellandam. Unde ſaltem hoc cognoſcimus, non intelligi hîc imperium civile, qua tale. Poteſt autem imperium falſam religionem exercens vocari *meretrix*, ex accidenti. Atqui hoc imperium etiam ſeducit & compellit ad falſam religionem. Nam dicitur *poculo ſcortationis inebriaſſe gentes*, populos & reges. Apoc.14:8.18:3. Unde perſpicuum eſt, ſumere ſibi eam civitatem jus docendi vel præſcribendi religionem. Quod non ſolet in civitatibus fieri ſine pontificibus, flaminibus, ſacrorum antiſtitibus,

Sed adhuc incertum eſt, annon hæc civitas falſam religionem præcipiens ſit ethnica & à Chriſtiano nomine aliena: qualis fuit Babylon *vetus, cui certè conveniebat, ut* meretrix *appellaretur, ut quæ coleret omnia alia præter verum Deum;*

Deum; *& ut diceretur* inebriaſſe gentes poculo ſcortationis, *quia compellebat gentes ſubditas ad ſimiles cultus. ut clarum eſt in Nebucadnezare Dan.3. Qualis etiam fuit Roma tempore Apoſtolorum & nominatim Iohannis, ac deinceps uſque ad Conſtantinum. Nam illa ſerviebat idolis, & ad idolorum cultum ſubditos adigebat.* R. Hoc igitur ſaltem commune habet hæc Babylon cum veteri *Babylone.* & propter hanc analogiam etiam Roma ethnica perſecutrix potuit *Babylon* nuncupari. Sed fortaſſe altius quiddam in *Babylonis* nomine oſtenditur. Quare enim, quum apertum ſit, propter analogiam cum Babylone antiqua quandam ſociatam multitudinem dominantium vocari nomine *Babylonis*, non aſſurgemus ad ipſa Babylonis initia? Quæ narrantur Gen.11: 1.2.3.4. Inde enim liquet, rationem condendæ illius urbis, quæ poſtea *Babylon* à confuſione linguarum appellata fuit, fuiſſe conſilium nepotum Noachi, conſtituendi *Nominis*, *ne*, multiplicato genere humano, *diſpergerentur* & non manerent *populus unus* (v. 6.) *eoſdem ſermones loquens*, (v.1.) Quod *nomen* non poteſt intelligi aliud, quàm Senatus quidam reſi-
dens

dens in illa Civitate, apud quem maneret depoſitum & traditio illorum verborum, quæ tum homines, ut edocti à Noacho, pariter omnes loquebantur; ut ita genus humanum in concordia impoſterum contineri poſſet, ſi nemini liceret quid dicere, niſi in nomine Senatus Babylonici, cujus ſcil. futurum erat ſermones antiquos cuſtodire, tradere & narrare. quemadmodum doctores Judæorum nihil audent loqui, niſi in nomine prædeceſſorum & magiſtrorum ſuorum, ut ita retineatur doctrina πατροπαράδοτος. Quod ſi aliud conſilium adſcribimus antiquis illis, & non hoc ipſum, quod habet ſpeciem magnam ſapientiæ, pueros dicemus illos fuiſſe & fatuos. Neque videbitur res digna, ut Deus deſcenderet & confunderet linguas eorum, ſi forte nihil aliud ſpectarunt, quam ut magno ædificio oſtenderent poſteris, quanto olim numero una fuerint. Præterea etiam Nimrod *victor venandi coram Domino*, venator hominum potius quam ferarum hujus conſilii executor omnino fuiſſe videtur. Nam, quum, confuſis linguis, homines ædificare deſiiſſent, Nimrod, qua ratione & induſtria potuit, collegit plurimos ad ſe, prioris inſtituti

tena-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tenaces. Sed hæc non volumus valere niſi tum, quando apparebit, in *Babylone* hac myſtica hoc ipſum conſilium eſſe primam cauſam, cur hoc nomen gerat: & diviſionem regni ejus, quod eſt *Beſtia*, i.e. ſeceſſionem nuncupatorum Chriſtianorum per varias hæreſes, tanquam diviſionem linguæ eorum, id intendiſſe & confirmaſſe. Hoc tantum nunc poſtulo, ut is, qui mecum inquirit, qualis ſit *Babylon* hæc myſtica, apud animum ſuum hanc cogitationem non habeat pro abſurda, ſed judicet ſaltem probabilem conjecturam eſſe, ut forte ſit multitudo ſociata per ſua capita, ut nominentur traditores veritatis & religionis, à quibus neceſſariò ſit doctrina veritatis accipienda, tanquam teſtibus προκεχειροτονημένοις ὑπὸ θεοῦ *divina ſuffragatione deſignatis*, à quorum traditione non liceat recedere. Nam & hiſtoria initiorum Babylonis percommodè hanc explicationem fert, & dicere, Ego ſum Pauli, Cephæ, etiam alioqui vetitum eſt; neque poteſt non haberi pro ſcortatione, ſi quis id faciat.

Sentio feriri animum meum hac parabola; neque poſſum detrectare, quò minùs fatear, Babylonem futuram fuiſſe multitudinem ſociatam per ſua capita aut per

ſuum

ſuum caput ad hoc, ut falſa doctrina imbuat gentes; quod non poteſt fieri ſine ſpecioſis prætextibus, & ſplendida apparentia, ut, pro auctoritate & nomine divino, introducatur alia auctoritas & loquendi poteſtas, qua homines obligentur ad obedientiam. imprimis quum videam, ſimul nomen Chriſti & meretricis per omnes gentes prædicari debuiſſe. Quod non potuit fieri, niſi meretrix illa nomine Chriſti ad auctoritatem & regnum in ſe derivandum abuteretur. Sed tamen adhuc deſidero fortiora quædam & magis definita, ex quibus appareat qualitas Babylonis.

Reſp. Meminiſſe imprimis debemus, totam hanc quæſtionem à nobis inſtitutam fuiſſe, ut ſciremus, quid hoc ſignificet, quod dictum eſt, *Exite ex illa, popule mi:* nempe an unquam fuerit futurum, ut fideles à quibuſdam zizaniis neceſſe haberent corpore ſegregari. Id igitur non melius poterit intelligi, quam ſi cognoſcamus, quomodo fuerint pii in Babylone: ut, dum exire jubentur, intelligantur ad eum modum non amplius debere eſſe inBabylone, quo antea in illa fuerant, Quomodo autem in ea fuerint, antequam exirent, cognoſci poterit, ſi cognoſcatur, quid ſit *Beſtia, ſuper qua ſedet*

Meretrix; Apoc. 17:3.7. & quæ fuerit piorum conjunctio cum *Beſtia*. Ex eo etiam perſpicietur, quale genus hominum conſtituat Babylonem, & quibus aliis nominibus ea appelletur.

Quid igitur eſt Beſtia? Reſp. Imprimis non puto dubitari poſſe, quin hæc *beſtia, in qua ſedet meretrix*, ſit eadem cum ea, quæ alioqui in Apocalypſi dicitur *beſtia aſcendens ex abyſſo, ſive ex mari*. Apocal. 11: 7. 13: 1. quæ & v. 12. *prior beſtia* nominatur: & indigitatur c. 14: 9. 11. 15: 2. 16: 2. 10. 13. 19: 19. 20. 20: 4. 10. Deinde ne hoc quidem dubitari poteſt, quin, quum Johannes *beſtiam* dicit, loquatur ſtilo Danielis, qui cap. 7. *quatuor beſtias* deſcribit, quas vidit aſcendentes ex mari. v. 3. quas dicit *quatuor reges*, v. 17. & quartam vocat *quartum regnum*, v. 23. Ex quo colligimus, beſtiam non ſignificare unum hominem regnantem vel obedientem, ſed multitudinem regnum aliquod conſtituentem. Nam *beſtiæ* attribuitur *civitas magna* Apocal. 11: 8. Et, ut hoc conſequenter attexam, *Civitas magna*, quæ eſt dicio *Beſtiæ*, non eſt unum aliquod ſuis pomœriis incluſum oppidum (ita enim geometrarum eſſet eam civitatem indicare, nempe

eam,

eam, quæ in orbe terrarum maximo foret pomœrio incluſa) ſed dicio magna quædam ſive imperium, in cujus omnibus partibus ſunt cives eodem jure, qui ab uno capite ac Senatu pendent. Id ita eſſe, inde perſpici poteſt, quia illa Mulier ſedens in Beſtia dicitur *ſedere ſuper aquis multis*, cap. 17: 1. quæ exponuntur *populi & turbæ, & gentes & linguæ*. v. 15. Quid enim eſt clarius, quàm eam multitudinem, quæ dicitur *Beſtia*, in qua *Mulier* ſedet, eſſe in multis populis, turbis, gentibus & linguis? Romani, quum tenerent orbem univerſum, in orbe univerſo fuerunt. Non enim niſi per Romanos Romanorum imperium teneri potuit. Hinc Præſides, Proconſules, Legati, Imperatores, Legiones, Mercatores, Publicani in omnibus provinciis. Sume hunc typum. Ut Romanus Senatus cum Principe populo Romano, populus Romanus gentibus ſuperpoſitus fuit: ita hæc Mulier populo ſuo, & populus illius multis populis ita & intereſt & præeſt, ut multi populi, gentes, linguæ ipſi ſerviant.

Non poſſum negare, quin ænigma hoc tali rei ſit aptiſſimum. Et convenit, quòd Primaſius Beſtiam *alicubi interpretatur*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

populum. *ut cap.* 17. *Tantummodò opus eſt, ut cætera prædicata tali ſubjecto conveniant. Sed priùs demonſtra, cujus generis multitudo ſit Beſtia.* R. Id quidem mox. Tantùm illud velim concedas mihi, reſpondere ſeſſionem Mulieris in Beſtia ſeſſioni Equitum in equis Apoc. 6: 2. 4. 5. 8. Neque enim *equi* ſignificant ſingulos homines. Primaſius per primum equum candidum intelligit *Eccleſiam in Apoſtolis & prædicatoribus veritatis*, & *ſeſſorem ejus Chriſtum*.

Sint iſta ſimilia. At non video cauſam, quare non Mulier in Beſtia ſedens in multis populis ſit ipſe Princeps & Senatus Romanus, populo Romano multarum gentium domino inequitans; ille, qui perſequutus eſt Eccleſiam: quem tu voluiſti eſſe tantùm inſtar & exemplar Mulieris & Beſtiæ. R. Si *Beſtia* ſuccedit illi regno, utique non id ipſum eſt, in eadem qualitate & conditione. Atqui Beſtia ſuccedit illi imperio. Quippe ſuccedit *Draconi* Apoc. 12: 2. *Et dedit ipſi* (Beſtiæ) *potentiam ſuam & thronum ſuum & poteſtatem magnam.* Unde clarum eſt, priùs regnaſſe Draconem, ut Draconem; deinde regnaſſe Draconem per Beſtiam. Neque puto dubitari poſſe, quis ſit Draco,

co, qui ſtetit coram muliere parturiente, paratus abſorbere filium ejus. Qui tamen raptus eſt ad Deum & thronum ejus. Apoc.12: 4.5. Nam quis neget, prolem maſculam, quam enixa eſt mulier parturiens, h. e. quem Eccleſia poſt longam expectationem vidit, qui ſceptro ferreo erat recturus gentes, eſſe Chriſtum; & notari in Apocalypſi primas inſidias, quas Chriſto tetendit, & votum interficiendi Chriſtum & in morte retinendi: atque adeò una cum Diabolo inſtrumentum illius violentiæ intelligi, per *Draconem*, nempe imperium Romanum? Quid igitur aliud dicemus, quàm, quod conſequitur illud regnum Draconis, eſſe regnum Beſtiæ?

Apoſtolus Paulus 2. *Theſſ.* 2: 6.7. *innuit, imperium Romanum abolendum eſſe, antequam veniat* Antichriſtus *&* defectio. *Et ita Patres acceperunt, veluti Tertullianus, qui in Apologetico oſtendit, Chriſtianos ſolitos fuiſſe orare* pro mora finis, *&* commeatu imperii Romani; *quòd ſcirent ſæviſſima tempora poſt abolitionem illius imminere.* R. Chriſtiani primi, rebus pleriſque necdum extantibus, prophetias de ultimo tempore exceperunt quiſque ut potuerunt: ſed hoc ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

men clarum eſt, Tertulliani tempore Chriſtianos putaſſe, eum ſtatum Imperii debuiſſe manere uſque ad clauſulam ſeculi. Putarunt autem, Antichriſtum non priùs venturum, quàm finiretur Romanum imperium & Romani imperii nomen. In quo falſi ſunt. Verba Tertulliani ſic habent Apologetici cap. 32. *Eſt & alia major neceſſitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni ſtatu imperii rebusque Romanis, quòd vim maximam univerſo orbi imminentem ipſamque clauſulam ſeculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu ſcimus retardari. Idque nolumus experiri, &, dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Sed Pauli Apoſtoli verba non dicunt, quòd *detinens* Antichriſtum, quò minùs manifeſtetur, ſit Romanum Imperium omne; quaſi ipſum hoc, Romanum Imperium eſſe ullo modo, & Imperium Romanum nominari in mundo, ſit remora manifeſtationis Antichriſti. Apoſtolus præſupponit, notum Theſſalonicenſibus eſſe, quid illud eſſet, quod Antichriſti manifeſtationem impediret. Si non poſſumus ſcire ex Scripturis, quid Apoſtolus per hoc innuerit, conſequetur, ſufficere

nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

nobis generalem ſenſum, *Aliquid, quod nunc eſt, detinet Antichriſtum, quo minùs manifeſtetur. Id autem aliquando ex medio fiet, & non amplius obſtabit revelationi ejus. Tunc igitur paulatim manifeſtabitur.* Si nihil amplius nobis dictum eſſet, an deberemus propterea ignorare Antichriſtum, poſtquam *revelatus* eſt? Sed certè illa verba non ſignificant, Nomen Romani Imperii obſtare revelationi Antichriſti: ut, quamdiu nominatur illud, tamdiu cenſeatur Antichriſtus necdum veniſſe. Hoc enim Apoſtolus non dicit. Et quid habet nomen Romani Imperii, quemadmodum id ullo modo nominandum erat, contrarium revelationi Antichriſti, magis quàm, quòd *decem reges ſunt una hora?* Atqui *decem reges* poſſunt *poteſtatem ſuam tranſdare Beſtiæ*, & quare non is, qui Imperator Romanus dicitur? Oecumenius affert Theodori ſententiam de illo loco. Σβεσθήσεται γὰρ ἡ κατέχουσα πλάνη καὶ λήξει τῶν εἰδώλων ἡ ἐξαπάτη, καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος. *Extinguetur obtinens error & deſinet idolorum ſeductio. & tunc revelabitur ille Excutiens legem.* Ratio illius non æquè bona eſt, ut interpretatio. Sic enim dicit: *Hoc enim & Chriſtus dixit:*

Prædicabitur hoc Euangelium regni in omnes fines terræ, & tunc veniet finis. Præſupponit, Antichriſtum non venturum, niſi poſtquam Euangelium regni prædicatum fuerit in toto orbe, & proximè ante finem. Sed, ut & ſupra monuimus, ipſe Chriſtus priùs dicit *abundaturam* ἀνομίαν, quàm dicit, *Prædicatum iri Euangelium hoc regni in tota habitabili.* Matth. 24:12.14. Et, quod etiam diximus, *Euangelium regni prædicari*, poteſt ſignificare Prædicationem non ſimpliciter illam, qua Chriſtus prædicatur ad dextram Dei conſediſſe, ſed eam, qua prædicatur *corruptores terræ corrupiſſe & omnia regna ſibi ſubjeciſſe*; ut eſt Apoc. 11: 15.17.18. ſecundùm prophetiam Eſ. 24:23. 54:5. *Aſſertor tuus Sanctus Iſraëlis Deus totius terræ vocabitur.* Zach. 14:9. *Et fiet Iehovah rex in totam terram.* Quia autẽ *finis* tali *prædicationi* connexus eſt, non poteſt inter *finem & prædicationem Euangelii regni illam* (ſaltem prædicationem regni ita geſti, ut in ſuperioribus Chriſtus ipſe deſcripſerat, uſque ad ſalvationem perſeverantium & ſubjectionem omnis habitabilis, ut ſerviat populo Dei & patiatur verbum ejus) intercedere *defectio & revelatio Antichriſti.*

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Quid igitur eſt impediens revelationem Antichriſti niſi Imperium Romanum? Reſp. Non tam Imperium Romanum impediebat, quàm aliquid, quod tunc erat in imperio Romano; nempe quòd tum adhuc regnabat Draco apertè & palam in eo imperio, & Princeps, Senatus, populus adhuc ſe faciebant ipſius arma, imò membra. Imperium enim Romanum non habet unum ſtatum & formam. Daniel in eo diſtinguit ***crura ferrea*** & pedes ***partim ferreos partim teſtaceos***; vel, ut ipſe explicat, regnum primò ſimplex, deinde ***diviſum*** ſive ***duplex***. Dan. 2:33. 41. Planiſſimum eſt, ſi Lapis de monte exciſus & latus ſine manibus imaginem proturbans eſt Chriſtus, & Mons magnus occupans totum mundum eſt Eccleſia, atque id regnum ***non corrumpetur*** deinde, poſtquam Coloſſus ille deſtructus fuerit, Antichriſtum non venturum eſſe poſt illam Eccleſiæ amplificationem, ut rurſus omnes gentes illi ſerviant: &, ſi quartum imperium eſt Romanum imperium, ſub quo Chriſtus natus fuit (Nam ***in diebus illorum regum*** vel ***regnorum excitaturus erat*** Deus ***regnum, quod non corrumpetur***, non verò poſtquam illa regna finita eſſent: Dan.

 2:44.

2:44. & Chriſti regnum demum illa erat diſſipaturum) verumque eſt, quòd Antichriſtus à Chriſti regno vincetur; indubitabile eſt, Antichriſtum quarti regni partem conſtituere. Et quam verò conſtituit, niſi eam partem, quæ eſt *regnum diviſum*, quale eſt regnum *Meretricis ſedentis in Beſtia?* Præterea in confeſſo eſt, Dan. 7:24. per *cornu parvum aſcendens inter decem cornua* intelligi Antichriſtum. Quod ſi verum eſt, neceſſariò regna omnia mundi non priùs fient Chriſti & Eccleſiæ, quàm Antichriſtus ceciderit: & neceſſariò Antichriſtus eſt in quarta beſtia. Quam ſupponimus cum Bellarmino eſſe imperium Romanum. Neque quarta Beſtia poteſt non eſſe de Imperio Romano. Nam, ſi id aliquod imperium eſt antecedens Romanum, jam non patet, quomodo, dum illa beſtia aut cornu illius loquitur, judicium conſideat & regnum detur populo ſanctorum τῶν ὑψίστων. v. 9. 10. 11. 13. 14. 17. 18. 21. 22. 25. 26. 27. Nam ſub Seleucidis id non eſt factum. Quippe ſub iis regnum Chriſti ne nominatum quidem eſt. Capite octavo loquitur Daniel de Antiocho; ſed deſinit in ipſius fractione. Neque convenit, ut, quod in cap. 7. deſcripſit pleniùs

niùs cum conſequentia regni ſanctorum, id in cap. 8. explicet jejuniùs, & ſine conſequentia regni ſanctorum: multò minùs, ut, quod cap. 7. deſcripſit per parabolam quatuor animalium, leonis, urſi, pardi, & beſtiæ mirabilis; id in cap. 8. tertio abhinc anno deſcribat per parabolam duorum, arietis & hirci. Denique, ut intelligeremus, quoties ſive à quot regnis Eccleſia habitura eſſet bellum, cap. 11. idem propheta ordine, poſt imperium Perſicum detexit reges præcipuos Aſiæ & Ægypti; & inter illos Antiochum Epiphanem hoſtem fœderis & perſecutorem Judæorum, v. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Tum deinde, dudum illo abolito, (Nam frangendus erat cap. 8: 25.) *Regis* mentio ſit, qui nempe poteſtatem in terra ſit habiturus, eique maximi progreſſus aſſignantur & ſuperbia magna: ut quòd *contra Deum deorum locuturus ſit mirabilia.* Quæ ſine dubio eſt perſecutio fidei facta à Romanis. Eidem verò regi attribuitur deinde, quòd *non ſit rationem habiturus deorum patrum ſuorum.* v. 37. Et notum eſt, Romanos Jovem, Martem & alios deos patrum ſuorum deinde abnegaſſe & exſcidiſſe, nomine Chriſti ſuſcepto. At tum deinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

dicitur non habiturus rationem *deſiderii mulierum*, & *deum arcium in ſuo locamento culturus*, & *deum*, *quem non noverant* ulli *patres ipſius culturus auro, argento*,&c. Quæ non niſi de eodem Romano intelligi poſſunt. Sub quo etiam continget illa *afflictio*, de qua cap. 12: 1. Hæc omnia palpabiliter oſtendunt, 1. Antichriſtum non demum venturum fuiſſe poſt prædicatum in tota habitabili Euangelium regni. 2. Eum non demum fuiſſe revelandum, nomine Imperii Romani penitus abolito: ſed, ſtante *Imperio*, quod *Romanum* vocandum erat, regnaturum, & ejus poteſtatem ſubditam ſibi habiturum fuiſſe. Et cum eis convenit, quòd Apoc. 11: 8. eadem *civitas* h. e. idem territorium & eadem dicio, *in qua Dominus noſter crucifixus eſt*, dicitur eſſe civitas Beſtiæ. item, quòd Apocal. 13: 2. *thronus Draconis* non dicitur deſtruendus ſed cedendus Beſtiæ: item cap. 17: 18. Civitas illa, quæ S. Johannis tempore regnabat ſuper reges terræ, dicitur eſſe illa Babylon, non ita manens, ut erat, ſed poſtquam incepiſſet mentiri Chriſto & ſedes Beſtiæ facta eſſet. Nam tum quidem Roma ſedes Beſtiæ non erat, quia Beſtia non ita jam tum erat,

ſaltem

ſaltem ut thronum obtineret. Ergo non priùs eſt *Mulier* illa inequitans Beſtiæ, quàm Beſtia thronum in ea nacta eſt. Quamobrem concludo, quòd non Imperium Romanum eſſe aut nominari obſtiterit revelationi Antichriſti, ſed hoc, quòd Roma adhuc ad tempus Draconi, qui in *idolis mutis* ſub nomine Jovis, Saturni, Martis colebatur, ſervitura erat ad vexandos fideles. Unde facile apparet, eam interpretationem, quæ dicit, Non priùs Antichriſtum revelandum eſſe, quàm Romani Imperii nomen exſtinctum ſit, eſſe errorem & non à *ſpiritu veritatis*, ſed proculdubio à *ſpiritu Antichriſti* (1. Joh. 4:3.) Omne enim temerarium dictum non poteſt eſſe à doctore veritatis. Potuit autem ſpiritus Antichriſti etiam piis incautis imponere. Quia *jam* tum, quum Apoſtolus hæc ſcriberet, *erat in mundo.* h. e. ipſi conceſſum erat omnia comparare ad inſtruendam hanc tentationem Eccleſiæ & ad pœnam hominum non amantium veritatem.

Neſcio, quomodo effecturus ſis, ut non verum videatur, Antichriſtum futurum paulo ante mundi finem, quum Apoſtolus dicat, quòd Dominus illum abolebit apparitione præſentiæ ſuæ *ſive* ad-

ventus

ventus ſui. 2.Theſſ. 2: 8. R. Non diſputabo hîc, quam latè accipi poſſit ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας τοῦ Χριστοῦ *apparitio adventus Chriſti*, nempe an non jubar regni ipſius præcedens ipſius adventum ad judicandum vivos & mortuos in *apparitione adventus ipſius* comprehendatur. Solemus enim dicere, Regem venire, qui in via eſt, cujus anteambulones videmus. Ita non diſputabo, annon thronus ille magnus & candidus, à cujus conſpectu fugitura eſt terra & cœlum, Apoc. 20: 11. ſit fulſurus & conſpiciendus quaſi eminus, ante reſurrectionem carnis. de qua quidem ego non exaudio, quæ in illo capite de reſurrectione dicuntur. Satis mihi eſt, quòd Apoſtolus quinque tempora in Antichriſti regno diſtinguit. 1. Tempus, quo myſterium ἀνομίας operatur. v. 7. Et hoc tempus jam tum adeſſe dicit. Similiter ut 1.Tim. 6: 15. *Iam quidam averſi ſunt poſt Satanam.* & Johannes 1. Epiſt. 4: 3. *Spiritus Antichriſti nunc jam in mundo eſt.* 2. Tempus, quo *advenit in omni potentia, ſignis, & prodigiis mendacii, & in omni ſeductione injuſtitiæ.* v. 9. 10. 3. Tempus, quo *revelatur.* v. 6. 8. nempe ut *ſe collocet in templum Dei velut Deus*, & *declaret ſe ipſum*

eſſe

eſſe Deum. v.4. 4. Tempus, quo *conſumitur ſpiritu oris* Chriſti. v.8. 5. Tempus, quo aboletur. Ib. Jam, ſive ipſius abolitio totalis ſit futura per ipſum diem judicii & reſurrectionis carnis; ſive ſit futura per regnum Chriſti, quod Chriſtus habebit in mundo, ſubjectis Eccleſiæ omnibus populis, immediatè ante diem judicii, id nos parum poteſt anxios habere. Sufficit, quòd ex illa diſtributione temporum Antichriſti pateat, Antichriſtum non demum poſt prædicatum in toto mundo Euangelium oriturum fuiſſe. Scio equidem, quomodo hoc efficere ſatagant ex diebus Beſtiæ: ſed commodius erit, priùs definire, quid ſit Beſtia, quàm tempus ejus dicere.

Redeamus igitur ex diverticulo in viam, & jam nunc conſideremus, quid ſit Beſtia *ſuccedens Draconi & thronum ejus, eo dante, occupans.* R. Facile id ſanè eſt dicere. Si enim *Draco* eſt Satanas populi Romani ipſum palam adorantis viribus & poteſtate armatus & veſtitus: utique *Beſtia*, cui cedit Draco thronum ſuum, eſt multitudo Chriſtiano nomine non in veritate ovans & eandem poteſtatem uſurpans: ſive, ut populus Romanus Diabolum palam adorans, & falſos

deos

deos nominans, & Chriſtianam religio-nem oppugnans accenſetur Draconi ſeptem capitum; ita populus Romanus in omnibus partibus Romani imperii Chriſtianum nomen præ ſe ferens & verba fundamenti vel loquens vel audiens & dici permittens, ſed ea non intelligens, & in Chriſtum non credens fide recta & vera, ſed opiniones hominum ſequens & nomen humanum nominans, eſt *Beſtia.* Id ipſa antitheſis demonſtrat. Nam verè Chriſtiani, ſive *parvuli in Chriſto* ſive *adulti*, conſtituunt *civitatem ſanctam*, cujus thronus eſt in cœlis. Draco verò cum nominibus falſorum deorum & omni idolorum vetuſtorum pompa & *χρηστηρίων oraculorum* præſtigiis abiit & throno ſuo ceſſit. Quid igitur reliquum eſt, niſi populus nominatus Chriſtianus thronum habens in terra, & potentiam civitatis Draconis poſſidens, diſtinctus per id, quòd veram fidem non habet, à civitate ſancta? Et quomodo non notaret *Beſtia* populum nominatum Chriſtianum, quum *ſecunda Beſtia*, quæ *coram ea omnem poteſtatem ejus facit*, gerat *cornua inſtar agni?* quo certè notatur aliqua *ſimilitudo agni in hypocriſi*, ſive *uſurpatio eorum*, quæ vero *Agno* com-

competunt, ſive ſint *duo Teſtamenta*, (ut Primaſius vult) ſive poteſtas aperiendi & claudendi. Quòd ſi diligenter attendamus, inveniemus materiam, ex qua conflata eſt hæc *beſtia:* nempe *gentes calcantes atrium exterius*, ſive *ſanctam civitatem*. Apoc. 11: 2. Nam tempus, *quo Beſtia facit*, eſt idem cum tempore, quo *gentes calcant civitatem ſanctam*, nempe *quadraginta duo menſes*. Apoc. 13: 5. Tantùm illud concedatur nobis, *gentes calcantes civitatem ſanctã*, quibus *datum eſt atrium exterius*, eſſe *zizania permixta tritico*. Nam, ſecundùm id quod ſunt, nominantur *gentes*. Nihil enim ſunt aliud, quàm quod fuerant. Secundùm autem id, quod videntur eſſe, dicuntur *in atrio verſari*, *ſanctam civitatem calcare*, h. e. cum fidelibus quoad id, quod externum & tantum terreſtre eſt, conjungi, nomine Chriſti, lectione Scripturarum, verbis fundamenti, Sacramentis, loco congregationis, & τῷ συνευωχεῖσθαι eo, *quod cum illis epulantur*. 2. Pet. 2: 13. Quanquam in verbo πατεῖν *calcare* ſignificatur præterea gravamen, quod ſanctæ civitati importānt, quod etiam ſatis claris verbis explicatum eſt. Per *ſanctam* verò *civitatem* intelligi Eccleſiam fidelium,

quis

quis dubitet ? Qui etiam appellantur *adorantes in templo & altari*. Quod clarum eſt non competere *gentibus*, quibus *atrium* datum eſt, quod *ejicitur foras*, & *menſurari* vetatur, h. e. quod jubemur non accenſere Chriſto & ſpiritibus juſtorum conſummatorum & fidelibus in templo & altari adorantibus. Invenio hîc aliquid veri in Aretha. τῷ δὲ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατηθῆναι μῆνας τεσσαρακονταδύο, πόλιν ἁγίαν τὴν ἐκκλησίαν ἐκάλεσεν, ἣν ἴσμεν πατεῖσθαι ὑπὸ ἐθνῶν, οἷς ἐδόθη οἱονεὶ ἐν αὐτῇ ἀναστρέφεσθαι ὑπὸ χριστιανῶν μὲν θεοφίλως, ὑπὸ δὲ ἀπίστων καταφρονητικῶς καὶ ὀλεθρίως. *Quum dicit, civitatem ſanctam calcatam fuiſſe menſes 42. civitatem ſanctam Eccleſiam vocavit, quam novimus calcari à gentibus, quibus datum eſt in illa quaſi converſari, à Chriſtianis quidem cum dilectione Dei, infidelibus autem cum contempu & exitiabiliter.* Malè per *gentes* calcantes ſanctam civitatem intelligit etiam Chriſtianos. Nam ii conſtituunt ſanctam civitatem, ut pars ejus. Bene intelligit *per ſanctam civitatem* Eccleſiam, & *gentes eam calcantes infideles cum contemtu & exitiabiliter in ea verſantes*. Non perinde bene, quòd *atrium exterius* vocat *Eccleſiam novi*

Teſta-

Teſtamenti; & quòd eam *non* vult *menſurari*, quia *immenſurabilis ſit*; & *foras projici*, quia libera ſit. Nam quid ineptius fieri poteſt? Melius Primaſius: *Metiri templum & aram & adorantes in eo Eccleſiam jubet, quæ eſt templum Dei, præmiſſa divinorum menſura bonorum, ſpiritaliter informare, præcipuè in ara; id eſt in fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Adorantes autem in eo expreſſius inculcavit, qui in ſpiritu & veritate ſtudent Deum adorare, & ut in veritate credulitas & in ſpiritu vita probabilis clareat. Nam & Pater, inquit, tales quærit, qui eum adorent, veros adoratores. Aliter in ara ſacerdotes, in templo fideles ſignificat. Multi enim ſuperficietenus adorare videntur & in libro cœli non ſcribentur. hoc ſignificans ſequitur*, &c. Quicquid ſit de cæteris (quæ obſcura videri, miror admodum) hoc conſtat, Gentes ſe extrinſecus adjungentes Eccleſiæ ſine fide vera & viva, dici quidem calcare urbem ſanctam, & penetrare in atrium exterius (& ſic eo loco ſtare, quo olim ſtabant Iſraëlitæ; quibus non licebat ad altare accedere vel in templum intrare) ſed non eſſe *templum*, neque habere in eo partem cum fidelibus, qui etiam in

ſan-

ſanctum ſanctorum intrant ſequentes per fidem Chriſti veſtigia neque *ad altare adorare*, h. e. non accedere ad Chriſtum, ut in eo juſtitiam conſequantur, & per ſacrificium ipſius faciant fœdus cum Deo. In iis igitur gentibus ſine dubio eſt *Beſtia*. Quæ dicitur *prodiiſſe ex abyſſo* h.e. *mari*, Apoc. 11:7. 13:1. quia ex infrugifero mundo in eum quaſi locum tranſlata eſt, in quo fit aratio & ſementis, & fruges colliguntur, h.e. conjungitur cum populo Dei. Ea fuit *adorata*, per *ſubjectionem* (ut Primaſius docet) ut lex illius ſuſciperetur, & judicium, ſenſus ac conſenſus illius haberetur pro veritate. *Adorata* autem *fuit* ab *habitantibus terram* h. e. illis, qui uſque ad atrium venerunt, & in templum Dei non penetrarunt, ut haberent communionem cum *habitantibus in cœlo*. Sed hiſtoriam omnem Beſtiæ enarrare non eſt hujus loci.

Videmur reperiſſe, quod genus hominum conſtituat Beſtiam priorem, *nempe falſos Chriſtianos, qui fidelibus permiſcentur, quatenus ſcilicet hi per caput terreſtre unum aut multa in formam civitatis coaleſcunt & fiunt populus. Nunc igitur oſtende, quomodo ex eo poſſit noſci, quod*

genus

genus hominum appelletur Meretrix & Babylon. R. Quandoquidem Meretrix *ſedet in Beſtia*, intelligitur, hoc eſſe meretricem, quod regit Beſtiam, & cui ea paret. Et, quum ea appelletur *Babylon*, & *civitas*, intelligitur eſſe Multitudo docentium errores & populum, qui vocatur Chriſtianus, & eſt Beſtia, ſibi ſubjicientium, conſociata inter ſe legibus & auctoritate. Planum autem eſt, hoc ipſum eſſe *Babylonem*, quod cap. 13: 11. dicitur *alia beſtia aſcendens ex terra*. quæ *omnem poteſtatem prioris beſtiæ* in ſe derivat *& coram ipſa facit, & facit terram & habitantes in ea adorare beſtiam priorem*. Quæ *ſecunda beſtia* vocatur *pſeudopropheta* cap. 19: 20. Et, quòd *mulier* ac *pſeudopropheta* ſint ejuſdem nomina, poteſt intelligi ex cap. 2: 20. ubi dicitur *Mulier Iezabel, quæ dicit ſe eſſe prophetiſſam*. Et cap. 16: 13. *draco*, *beſtia*, & *pſeudopropheta* ſic junguntur, ut facile appareat, *pſeudoprophetam* eſſe idem cum *Babylone*. Eſt autem omnis is *pſeudopropheta*, qui falſum loquitur in nomine Dei, & quidem ſic, ut vendicet ſpiritum ſibi aſſiſtentem, qui faciat, ut ipſe, dum loquitur, errare non poſſit, etiamſi nihil demonſtret ex verbo Dei. Multos

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

autem eſſe illiuſmodi, & legibus atque auctoritate ſociatos, ex eo apparet, quòd *civitas* vocantur.

Babylon *igitur, ut tu contendis, dicitur cœtus & conſpirans multitudo, dominans ſe illi ſubjicienti populo, qui Chriſtianus appellatur, & poteſtatem mundanam imperii terreſtris habet, cui multi populi & gentes & reges ſerviunt; quæ multitudo docet nec recta nec rectè, nempe ea, quæ ſcripta non ſunt, & ſine demonſtratione; ac ſuum nomen (quia eſt talis multitudo ſic ſociata ſub tali capite aut talibus capitibus) putat eſſe neceſſarium ad unitatem regni Dei conſervandam, ut omnes cogantur idem dicere, quod ipſa communiter ſtatuerit; quia ſic viſum ſit Spiritui Sancto Eccleſiam docere. Nunc ſequitur, ut doceas, quæ futura fuerit fidelium cum ea multitudine ad tempus conjunctio, & deinde ab ea diſceſſio.* R. Imprimis notandum eſt, etiamſi omnes infideles, hæretici, pagani, Chriſti adverſarii ſint ejuſdem civitatis; tamen non omnes infideles dici *calcare civitatem ſanctam*, aut *atrium obtinere*: ſed tantùm illos, qui, quum non ſint ex fidelibus, tamen cum illis commiſcentur, quique, niſi in publicum prodeat & *re-*

veletur

veletur ipſorum ἀνομία & ἀποστασία, non poſſunt judicari pro infidelibus; quia cum fidelibus habent communia verba quædam regulæ ſive fundamenti, & veritatem patiuntur dici; & quia fideles (ſaltem *parvuli in Chriſto*: quales uno tempore poſſunt eſſe plurimi) *patiuntur illos docere* (Apocal. 2:20.) & loqui, vel etiam in quibuſdam cum illis *errant, neſcientes profunditates Satanæ.* ibid. v. 24. quod eò magis proclive eſt ut fiat, quando fides quidem verbi Dei & magnalium ejus in electis eſt, ſed non ſunt in promtu, quæ ad verbum Dei explicandum pertinent, neque ita, ut debent, curantur, ut perveniant multi in fide ad *ſapientiam* & ſic fiant τέλειοι, *perfecti, adulti*: aut quando omne tempus inſtituendi & verbum Dei meditandi occupant diſputationes cum hæreticis. Nam, etiamſi hæreſes ad hoc proſint Eccleſiæ, ut in certis capitibus veritas magis conſtabiliatur, & argumenta, quibus ea ſuadetur, examinentur & ad ſoliditatem redigantur, tamen etiam per eas multùm incommodatur Eccleſiæ, ut, dum hæreſis aliqua maxima vi oppugnatur, interim alia non minùs neceſſaria negligantur aut parcius doceantur

ceantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ceantur & inculcentur. Quomodo Corinthii adhuc parvuli peccaverint nominando *nomine* præter Chriſti nomen, quod ſolum nominandum eſt Chriſtianis; ex S. Pauli Epiſtola clarum eſt. Sed non opus eſt ulteriùs oſtendere, quòd fideles cum infidelibus quibuſdam potuerint communicare, atque etiam errores & ignorantias quaſdam cum illis habere communes: quum id in ſuperioribus luculenter & ex Auguſtino oſtenſum ſit. Id tantùm addam, prænunciare prophetiam; quòd *Beſtia* ſit *interfectura teſtes duos* & *victura ſanctos*. Apoc. 11: 7. 13: 7. ita tamen, ut *Agnus, & , qui cum ipſo, vocati, electi, fideles, vincant* Babylonem & Beſtiam. Apoc. 17: 14. & *teſtes duo* ſint vindicandi à multis ex omnibus linguis, ut non ſepeliantur; & denique etiam reſurrecturi. Apoc. 11: 9. 11. Quod attinet interfectionem duorum teſtium, notat prophetia, *gentes calcaturas civitatem ſanctam per menſes quadraginta duos*, & *duobus teſtibus datum iri, ut prophetent in ſaccis per dies mille ducentos & ſexaginta*. Apoc. 11: 2. 3. Idem autem tempus eſt 42. menſes, & 1260. dies. Ergo eodem tempore interfecti jacent in platea magnæ civitatis &

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

prophetant in ſaccis. Neſcio, quare non cum Primaſio debeam per duos teſtes intelligere *duo teſtamenta, quibus prophetat Eccleſia.* Præſertim, quum & alio loco *Canticum Moſis & Agni* dicatur id eſſe, quod cum lætitia locuturi ſunt victores. Apoc. 15: 3. & ex Zacharia conſtet, cap. 4: 14. per *duas olivas* ſignificari *duos filios olei ſtantes apud Dominum totius terræ.* Quod non poteſt intelligi niſi de duabus claſſibus teſtium, qui & prophetarunt de Chriſto, ante apparitionem ejus, & ei miniſtrant per omne tempus in prædicatione Euangelii. Ex ipſa definitione clarum eſt, qui hi ſint. Teſtes, qui præſto ſunt Domino totius terræ, per quorum verbum Dominus totius terræ cognoſcitur, quorum verbis credit tota Eccleſia, ſignificant hæ oleæ. Duæ autem ſunt, non quòd duæ tantùm perſonæ, ſed quia duæ claſſes. Unde & *viginti quatuor presbyteri* dicuntur, quaſi bis duodecim presbyteri, quaſi ex ſingulis tribubus bini edantur presbyteri. Duodecim ſunt Apoſtoli: cum illis junguntur quaſi duodecim prophetæ, h. e. prophetæ omnes, qui ex tribubus duodecim vel ad tribus duodecim antè locuti ſunt. Qui *Eliam* & *Enochum* hîc reducunt

ducunt in ſcenam, quo argumento id faciunt? Arethas de Enocho. περὶ δὲ τοῦ Ἐνὼχ μαρτυρίαν μὲν ὅσον πρὸς τὴν παρουσίαν ἀπὸ τῆς γραφῆς οὐκ ἔχομεν πλὴν τοῦ διὰ μεταθέσεως ἀπαθανατισθῆναι. λόγος δὲ φέρεται ἐκ παραδόσεως φοιτῶν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπαρατρέπτως καὶ αὐτὸν ἥξειν μετὰ τοῦ Ἠλιοῦ τοῦ θεσβίτου. Negat, è Scripturis poſſe probari adventum Enochi, ſed ex traditione haberi. Eliæ verò adventum probat ex Malachiæ quarto: quaſi non ibi ſit ſermo de eo, qui venit in ſpiritu & virtute Eliæ ante Chriſti manifeſtationem, & quidem eo fine venit, ne percuteretur terra anathemate, ſed ut aliquæ reliquiæ ex Judæis ſalvarentur. Ergo Eliam illum oportuit venire ante percuſſionem terræ & excidium reipublicæ Judæorum. Quomodo Chriſtianis condonari poſſit, ſi dicant, prophetiam Malachiæ de Elia venturo ante diem illum magnum & terribilem Chriſti non eſſe impletam in Johanne Baptiſta, & angelo illo, qui Chriſti prodromus futurus erat? Sed tamen illi re tam incerta nituntur. Quibus cur credam, nullam rationem habeo, niſi ſi præſupponam, eos, qui iſta dicunt, eſſe prophetas, & extra Scripturam loquentes falli non potuiſſe. Quod ſi credam,

æquè

æquè facile deinde credam etiam Beſtiæ. Illorum verò refutatio etiam in facili eſt. *Elias* & *Enoch* pertinent ad claſſem unam teſtium, qui apparent Domino totius terræ: & teſtimonium illorum extat: neque aliud teſtimonium unquam dicent. Non igitur opus eſt ut veniant ex cœlo. Deinde hi expleverunt tempus functionis ſuæ, & Chriſto eorum alter *Elias* etiam in monte ſancto apparuit, ut & Moſes: non autem adſtant Chriſto ſemper corporali præſentia, ut teſtes. Atqui hi teſtes ſive hæ oleæ ſemper domino terræ adſiſtunt. Nam ita eſt v. 4. *Hæ ſunt duæ illæ oleæ & duæ lucernæ, quæ coram Deo terræ ſtant.* Et Zachar. 4: 14. *Hi ſunt, qui ſtant,* &c. Præterea tempus illud, quo hi teſtes in ſaccis prophetaturi erant, ſunt dies h. e. anni mille ducenti ſexaginta. Id ita probo. Primò *dies* pro annis venire in ænigmatibus propheticis, nemo ignorat: & ipſi illi, qui Henochum & Eliam volunt intelligi interficiendos ante ultimum judicium, tamen *tres dies & dimidium* v. 9. 11. intelligunt tres annos & dimidium. nominatim Primaſius. Et verò id clarum eſt. Quomodo enim venient tribus diebus & dimidio ex omnibus gentibus, tribubus, lin-

guis, ut non patiantur duos teſtes ſepeliri? Quod ego interpretor non factum eſſe ignominiæ cauſa, ſed ſtudio veritatis. Nam quid hoſtes illorum teſtium magis optarent, quàm corpora illorum ſepeliri? *Secundò*, dies 1260. qui deputantur beſtiæ *ad faciendum*, h. e. ad efficiendum ſuas libidines & vincendum ſanctos, vel teſtibus ad prophetandum in ſaccis, vel gentibus ad calcandam civitatem ſanctam, complectuntur mille annos capitis 20. Ergo non poſſunt ſimplices dies, qui efficiuntur diei & noctis viciſſitudine, notare; ſed neceſſariò annos notant. Antecedens ita demonſtro. Satanas debuit *ligari mille annos*. verſ. 2. ut non ſeduceret gentes amplius, quemadmodum eas ſeduxerat: donec finirentur mille illi anni; quum ipſum oportuit ſolvi parvo tempore. v. 3. Interim ſunt qui revixerunt, durantibus mille illis annis, & qui regnarunt cum Chriſto. Nam Chriſtus, ex quo conſedit ad dextram Patris, non deſivit regnare ſive regnum habere. Et, dum inimici ipſius ipſi mentiuntur, certè regnum habet Chriſtus; etiam dum Beſtia accedit uſque in atrium. Sed regnum illud non eſt hactenus ſine *dominis aliis præter Deum*, &

ſine

ſine *corruptoribus terræ.* Hoc igitur *regnum* ad aliquos pertinet: qui *revixerint ex mortuis*, per regenerationem, & *facti ſint ſacerdotes Deo.* Quorum igitur eſt hoc *regnum cum Chriſto?* Numquid forte Beſtia & Babylon regnat cum Chriſto? Minimè gentium. Sed contra de Beſtia dicendum eſt, quod dicitur. v. 5. *Reliqui mortui non revixerunt.* Manſerunt in morte ſua. Quinam igitur tandem ſunt ii, qui cum Chriſto regnarunt per illos annos mille? I. *Animæ eorum, qui propter ſermonem Dei* (hoc eſt veritatis cognoſcendæ & fidei principium) *& propter teſtimonium Ieſu* (hic eſt ſacræ Scripturæ nucleus, ſpiritus prophetiæ, hoc fundamentum) *ſecuri percuſſi ſunt.* Quod ſupplicium Romanum eſt. Quis ignorat, qui Chriſto mentiti ſunt, non potuiſſe non Apoſtolos & martyras laudare? atque adeò vel maximè martyrum ſanguine victum eſſe Draconem, Apoc. 12:11. & illorum admirabili conſtantia tot populos fuiſſe attractos ad Eccleſiam, partim ut crederent, partim ut nomen credentium ſuſciperent? II. *Ii, qui non adorarunt beſtiam neque imaginem ejus; & non receperunt ſignaturam in frontem ſuam & in manum ſuam dex-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tram. Et hi revixerunt. Cæteri autem mortui non revixerunt. Notari velim, quòd non dicat Johannes, ſe vidiſſe decollatos reſuſcitatos, ſed ſe *vidiſſe animas illorum*; & quòd illis conveniat *regnaviſſe cum Chriſto.* Item, quòd non dicat, ſe vidiſſe (tanquam in mille annis) animas eorum, qui non adorarunt beſtiam, ſed ipſos, qui non adorarunt; eoſque & *vixiſſe & cum Chriſto regnaſſe per mille iſtos annos.* h. e. currentibus illis mille annis fuiſſe Beſtiam, & proinde Chriſtianos ὀνομαζομένους *nominatos* fuiſſe non unius ſpeciei. alios enim ad beſtiam pertinuiſſe, & eam adoraſſe, & imaginem ejus, ac ſignaturam in fronte ac dextra manu accepiſſe h. e. aliam auctoritatem præter nomen Chriſti, aliam legem præter legem Chriſti ſuſcepiſſe, ut & profiterentur, tanquam eam habentes in fronte ſcriptam, & ſequerentur, tanquam eam habentes ſcriptam in manu & expoſitam oculis actiones ſuas adminiſtrantium. quemadmodum Deus præceperat, legem ſuam ponendam eſſe velut ſignum in fronte & in manu dextra. Exod. 13:9. Deut. 11:18. Quæ certè expoſitio nihil habet contorti aut violenti. Vidit eam aliquo modo & Primaſius.

ſius. cujus ecce verba quædam. *Et animæ occiſorum, ſubauditur, regnabunt cum Chriſto mille annis. animæ ſcil. martyrum, nondum ſibi corporibus ſuis redditis. Neque enim piorum animæ ſeparantur ab Eccleſia, quæ nunc etiam eſt regnum Chriſti ... Quamvis ergo cum ſuis corporibus nondum, jam tamen eorum animæ regnant cum illo, quum iſti mille anni decurrunt ... Quod verò ſequitur, Et ſi qui non adoraverunt beſtiam, &c. ſimul de vivis & mortuis debemus accipere. Quæ ſit porrò iſta beſtia, quamvis ſit diligentius requirendum, non tamen abhorret à fide recta, ut ipſa Impia civitas intelligatur & populus infidelium contrarius populo fideli & civitati. Imago verò ejus ſimulatic ejus mihi videtur, in eis hominibus videlicet, qui velut fidem profitentur & infideliter vivunt. Fingunt enim ſe eſſe, quod non ſunt, vocanturque, non veraci effigie, ſed fallaci imagine, Chriſtiani. Ad eandem namque beſtiam pertinent non ſolùm aperti inimici nominis Chriſti & ejus glorioſiſſimæ civitatis, ſed etiam zizania, quæ de regno ejus, quod eſt Eccleſia, in fine ſeculi colligenda ſunt. Et qui ſunt, qui non adorant beſtiam, nec imaginem ejus, niſi qui faciunt, quod ait*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Apoſtolus, Ne ſitis jugum ducentes cum infidelibus. non adorant enim, eſt non conſentiunt, non ſubjiciuntur. neque accipiunt inſcriptionem, notam ſcil. criminis, in fronte, propter profeſſionem, & manu, propter operationem. Ab his igitur malis alieni, ſive adhuc in iſta mortali carne viventes ſive defuncti, regnant cum Chriſto jam nunc — reliqui eorum non vixerunt. Hora enim nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei, &, qui audierint, vivent. Reliqui ergo eorum non vivent. Confer Auguſtinum 20. de Civit. Dei c. 9. Quis non fateatur, hæc omnia, (ſi pauca, quæ Primaſius in rebus ipſis non vidit, ad accuratiorem ſenſum traducamus) noſtræ expoſitioni eleganter convenire? Sed jam argumentemur. Regnum Antichriſti venientis in omni ſeductione non minùs *mille annos* complectitur: Ergo dies 1260. non ſunt dies, quos facit veſperæ & matutini reverſio, ſed anni. Antecedens claret. Nam ubi eſt *Beſtia, & adorantes beſtiam* & *imago & ſignatura ejus*, ibi eſt Antichriſtus. Quippe in iis Beſtiæ ſumma elatio & triumphus continetur. In iis autem Antichriſtum contineri neceſſe eſt. Quia non poteſt Antichriſtus eſſe diverſus à pſeu-

pſeudopropheta. Neque alius pſeudopropheta eſt, qui cum Beſtia conjicitur in ſtagnum ignis, quàm qui cum ipſa regnaverat. Quin *Imago Beſtiæ* quid eſt, niſi Antichriſtus? Totum enim, quod videtur habere Beſtia, in Antichriſto, ut capite, cernitur. Illa eſt, ſcilicet, Eccleſia: hic eſt *Eccleſia repræſentativa*; & quidem propter obedientiam. Nam propter eam is eſt ſenſus Eccleſiæ illius, qui eſt capitis. Illa habet promiſſionem Spiritus Sancti. Is datur imagini. Illa loquitur: hic loquitur, ut, quod ipſe loquitur, ipſa quoq; loquatur. Illa adoratur: in hoc illa. Illa ſignaturam dat: hic ipſe tradit beſtiæ, ut tradat incolis terræ. Beſtiæ, falſæ Eccleſiæ, omnia regna mundi ſubjici debent: nempe ut imagini ſive capiti ejus pareant. Et omnia *Antichriſti Imagini Beſtiæ* conveniunt. *Sedet in templo Dei* h. e. Eccleſia: quia beſtia, cujus imago eſt, ſunt gentes civitati ſanctæ immixtæ. *Effert ſe in omnem dictum deum.* Interficit enim omnes, qui non adorant beſtiam & ſe; etiam eos, qui in Vet. T. *dicebantur dii*, atque etiam tum, quum Paulus ſcriberet Epiſtolam ad Theſſalonicenſes ſecundam, nondum erant aboliti. quales ſunt filii Aharonis, & principes familia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

rum inter Iſraëlitas. Effert ſe in omne σέβασμα. τοὺς λεγομένους σεβαστοὺς *auguſtos nominatos* ſibi ſubjicit. religionem mutare ſatagit: ſibi vendicat conſtitutionem cultûs: jubet ſanctos, imagines adorari & coli: anathema dicit veritati & veritatis obſervatoribus. Declarat ſe *deum* 1. λεγόμενον, quales erant principes prioris ſeculi, qui jam aboliti ſunt. Nam *dat ſignaturam.* 2. Verum, quia dat ſignaturam, quam Deus non præſcripſit: & tanquam habens poteſtatem quam Deus ei non dedit: &, quia ſe, ut imaginem Eccleſiæ aſpici vult, ut in ſe videat Eccleſia divinam veritatem & poteſtatem, ſe Eccleſiæ facit משמר *obſervandum* (Ezech. 38: 7.) & Deum. Sed, qui eum adorant, Beſtia ſunt, & *deum alienum* (Dan. 11:39.) adorant. Porrò, qui in Nov. T. vult eſſe *deos dictos*, quales fuerunt in V. T. hoc ipſo regnum Chriſti abnegat. Sed de hoc alibi ſatis actum eſt. Pergo igitur. *Beſtia interficit duos teſtes*, h. e. ita tractat Scripturam, ut ea ſit q. mortua, & non vivificet amplius homines, imò etiam ipſos illos, qui eam interimunt, non redarguat, ut lætentur ſuper ea, tanquam mortua, & vim redarguendi eos non habente. contra atque deinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

deinde fieri debuit, quum homines quæſituri erant mortem & non inventuri (Apoc. 9: 6.) quippe palam redarguente ipſos luce veritatis. Ergo ex his clarum eſt, per dies beſtiæ Scripturam vel parcè legendam fuiſſe, vel ita per traditiones, diſputationes, interpretationes obruendam, ut homines Beſtiæ putarent, ſe in ea juſtificari, ut lætari poſſent, quum in ea damnentur. Quemadmodum etiam Judæi vetus Teſtamentum tractant & interficiunt. Igitur tempus illud tenebroſum admodum eſſe neceſſe eſt. Neque poteſt obſcurum videri, quare duo teſtes dicantur *prophetare in ſaccis*. Quippe ineptis gloſſis onuſti. Interim fuerunt ex omnibus gentibus, qui non ſinerent cadavera illorum *ſepeliri* & ab oculis hominum removeri. in quibus ſine dubio *vivi* fuerunt. Quũ igitur illud tempus eſſet tenebrarum & doctrinæ raræ atque valde exiguæ, pleroſque fidelium non niſi ut parvulos in Chriſto conſiderare poſſumus, quippe parum de ſapientia myſterii intelligentes. Neque aliud quid notant *tenebræ* toties in Apocalypſi prædictæ, niſi ἀγνωσίαν θεοῦ, *ignorantiam Dei*, *fundamenti* ἄγνοιαν & neglectum in plurimis, ἄνοιαν *amentiam* fal-

 forum

ſorum doctorum, doctrinas dæmoniorum, mendacia; ruditatem, & imperitiam etiam in multis ſanctorum. Alterum, ex quo intelligi poteſt, qualis futura fuerit conjunctio fidelium cum infidelibus, eſt illud, quòd dicitur Beſtia *viciſſe ſanctos*. Quod dupliciter fieri potuit. 1. redigendo eos ad ſilentium; ut publicè non audiretur vox illorum. 2. communicando eis non quidem amorem falſitatis, ſed tamen quaſdam opiniones, errores & malas conſuetudines. Nam *ſæpe Diabolus ſeducit etiam illos, qui jam regenerati in Chriſto vias ingrediuntur Dei*... ſed *ex his in æternam damnationem neminem ille ſeducit*. Aug. 20. de Civit. Dei c.7. Ea communio neceſſariò ibi eſt, ubi timeri poteſt ne frumenta ſint zizania, aut ſuſpicio eſſe poteſt, ne zizania ſint frumenta. Quod dixi de *ſilentio*: id confirmat Apocal. 2:20. *Habeo contra te, quòd ſinis Iezabelem docere & ſervos meos errare*. Item cap. 14: 2. ubi *voces* tres, ſed interquieſcentes, donec Euangelium æternum, nulla vi interrumpendum, prædicaretur. Quæ etiam ratio eſt, cur *tempus*, *tempora & dimidium temporis* in Apocalypſi cap. 12: 14. & Dan. 7. & 12. diſtinguantur. De

quo

quo alibi egimus. Neque debet aliquis clamare contra eos, qui à Babylone diſcedunt, ubi fuit veſtra Eccleſia ante hoc vel illud tempus: quum manifeſtè ſcriptum ſit, ſanctos victos eſſe. Poſſemus etiam dicere, *deſcendiſſe ad portas inferi*, quia promiſſum eſt, *portas inferi non ſuperaturas*. Matth. 16: 18. Quæ promiſſio ſuperflua eſſet, ſi non Eccleſia ad portas inferi fuerat deſcenſura: & ſi non fuiſſet opus dicere, *poſt diem tertium excitabit nos*, Hoſ. 6: 2. Sed, ſi tamen aliquis ita clamet, illi reſpondeat Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmen. c. 2. *Quòd ſi dicerent, neſcimus, an per tot gentes boni ſint Chriſtiani, impudentiſſimè dicerent. Deus enim perhibet teſtimonium frumentis ſuis .... Vnde etſi homines ipſos minùs novimus eſſe bonos, tamen eos ideò novimus, quia mentiri Deum non potuiſſe, fide certiſſima retinemus.* Eodem modo licet illis, qui à Babylone recedunt, reſpondere iis, qui clamant, ubi fuerunt antea homines veſtrarum partium: nempe; Se credere, quemadmodum & Petrus credidit, Chriſto videlicet immediatè: &, qui ita credunt, ſanctos eſſe: & eos etiam fuiſſe ſub Beſtiæ triumphis, ſed *victos fuiſſe.* Huic tempori reſpondet ea que-

rela

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

rela Eccleſiæ, quæ eſt Eſ.64:5 *Extitimus, ut impurus, omnes nos, & ut veſtis ſordida omnes juſtitiæ noſtræ*, quibus juſtitiam à Deo donatam exornare debebamus.

Sanè futurum erat ut cum infidelibus fideles conjungerentur, & lupi cum agnis ſtabularentur, h. e. inimici Chriſti per mendacium & blandiloquentiam ſe amicos Eccleſiæ ſimularent, atque etiam ſe Chriſti amicos in mendacio putarent; at ſupereſt, ut doceas, ita Eccleſiam debuiſſe egredi, ut etiam conſortium externum vitaret. R. Id Apocalypſis rebus evidentiſſimis docet. Satanas ligatus eſt *ad mille annos*, h. e. non minùs mille annis, ne *ſeducat gentes*, nempe quemadmodum antea fecerat, ut palam ſibi ſervirent: interim tamen eſt beſtia, & imago ejus, & adoratio utriuſque; quæ non niſi opus Diaboli eſſe poteſt: tum deinde ſolvitur, ut *congreget gentes ad bellum contra civitatem dilectam & caſtra ſanctorum*, Apocal.20:7.8.9. Et notandum eſt, quòd hoc ſit alterius generis bellum, quàm quod & beſtia fecit per 42. menſes, quo vicit ſanctos. Apoc.13:7. Nam hoc bello invadit *civitatem dilectam* & *caſtra ſanctorum*; & non vincit, ſed igne cœleſti conſumuntur hoſtes. Si futurum fuit,

ut

ut Eccleſia ſpeciem civitatis habens & caſtrorum invaderetur à Beſtiæ exercitu; futurum etiam fuit, ut fideles à Babylone corporibus ſecederent. Atqui evidens eſt, futurum fuiſſe, quod in antecedenti ponitur. Ergo etiam evidens eſt, futurum fuiſſe conſequens: h. e. fideles ex cœtibus, in quibus Babylon præeſt, exceſſuros fuiſſe. Præterea id manifeſtum eſt ex eis, quæ Imago beſtiæ faciet. Faciet enim occidi eos, qui non adorant imaginem beſtiæ: neque ſinet illos emere & vendere. Quomodo poſſunt pii ibi congregari, ubi occiduntur? & ubi ſine adoratione beſtiæ & imaginis ſubſiſtere non poſſunt? h. e. ubi ſalvi fieri & cum Chriſto regnare non poſſunt? Nam ſoli illi ſalvi fiunt & cum Chriſto regnant illis diebus, qui beſtiam & imaginem ejus non adorant. Planum eſt ex hiſtoria ſecundæ beſtiæ, quæ ex terra aſcendit cum prima beſtia, quæ aſcendit ex mari; ut ſit tempore ſimul, naturâ poſterior; quòd duplex ejus opus ſit, durantibus diebus 1260. nempe 1. ſuadere, ut faciant imaginem beſtiæ. 2. animare imaginem beſtiæ, & eam facere loqui, & facere, ut non adorantes eam occidantur, & ut magni & parvi accipiant ſignaturam. Apoc. 13: 14. 15. 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

15.16. Quamdiu id actum eſt apud beſtiam priorem, per deceptionem, ut imago beſtiæ fieret & conficeretur Epiſcopus Oecumenicus, dictator fidei & traditionis, judex ſummus, & ut is adoraretur, & ut ejus lex formaretur, & ea fieret apertiſſimè lex injuſtitiæ, & ὁ ἄνομος non eſt ***revelatus*** & ***renudatus***; potuerunt fideles cum beſtia conjungi. Quum autem nemo apud ipſam conſiſtere potuit, quin adoraret & ſignaturam ejus reciperet ſaltem in frontem; non potuerunt apud eam permanere, qui adorare & ſignaturam recipere recuſarunt. Nam quomodo conjugarentur cum illis, à quibus expelluntur?

Proximum videtur, ut diſpiciamus, quo tempore futurum fuerit, ut exiſteret Babylon, & ex ea fuerit exeundum. R. Quamvis definitionem *Babylonis* non potuerimus ita tractare, ut non etiam in mentionem temporis Beſtiæ & Babylonis incideremus; tamen non oberit etiam de hac re dicere ea, quæ certa attendenti eſſe poſſunt. Sunt autem in Scripturis quorundam eventorum tempora ***numerata***, quorundam autem tantùm *ſignata*. Unde & Chriſtus σημεῖα καιρῶν *ſigna temporum* nominat Matth.

16:3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

16:3. Sunt ea *ſigna*, ex quibus *tempus probandum* eſt. Luc. 12:56. Quò pertinet ποιότης τῶν καιρῶν, *qualitas temporum* 1. Pet. 1:11. Olim numeravit Deus annos patientiæ 120. ante diluvium, Geneſ. 6:3. peregrinationis ſeminis Abrahami quadringentos. Geneſ. 15:13. Item annos 65. donec ceſſaret Ephraim eſſe populus. Eſ. 7. & dies 390. itemque 40. patientiæ Dei; Ezech. 4:5. 6. Etiam annos captivitatis Babylonicæ 70. Jerem. 25:11. 12. 29:10. Dan. 9:2. 2. Chron. 36:21. Numeravit etiam ab exitu verbi ad reducendum & ædificandum, & uſque ad unctionem Sancti ſanctorum ſeptimanas ſeptuaginta annorum, non tamen perpetuas, ſed in partes diſtinctas, quæ ſuis qualitatibus interſtinguuntur. Dan. 9: 24. 25. 26. 27. Numeravit & annos humiliationis Nebucadnezaris, Daniel. 4. & 2300. dies ceſſationis jugis, tempore Antiochi, Dan. 8:14. Item annos triginta, ſignificatos parabola *unius menſis*, quo Chriſtus dicit Zach. 11:9. ſe paſturum oves occidionis; & interim aboliturum tres paſtores populi Judaici, h. e. tres ordines principum, ſacerdotes, judices, legiſperitos vel Prophetas; quos ordines Malachias deſignat cap. 2:12. per

Vigilem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Vigilem, reſpondentem & offerentem munus. Cæpit autem ea abolitio fieri poſt aſcenſionem Chriſti & effuſum ſpiritum ſanctum, quum etiam præputiati donum ſpiritus acceperunt, & in præputio baptizati ſunt. Quorum primus eſt Cornelius. Quo tempore (media ſeptimana poſt Chriſti exaltationem) cæpit aboleri ſacrificium & munus, donec id planè per excidium ſanctuarii efficeretur. Tantum igitur tempus (non minus) voluit Chriſtus impendere in abolitionem illorum, h. e. in liberationem fidelium ſuorum ab illorum jugo, quos *abominabatur anima ejus*; ut & longanimitatem ſuam teſtatam faceret, & *inopes gregis præpararet.* v. 7. donec *frangeret illud pedum*, & *ſolveretur fœdus, quod fecerat omnibus populis*, h. e. donec bellum Judaicum conflaretur. v. 10. 11. Confer Hoſ. 3:2. Sub Novo Teſtamento numeravit Scriptura *ſeptem ſigilla* & *ſeptem tubas*. &, ut quibuſdam videtur, *ſeptem Eccleſias* tanquam *totam ſeptiformem Eccleſiam figurantes*, ut cenſet Primaſius. In prima autem Epiſtola numerantur decem dies afflictionis, Apoc. 2. 10. Poſſumus in ea parte temporis ponere tempus (ſed κενθλοβωμιδρόν) *excidii Moab*,

Eſ.

Eſ.16:14. confer Matth.24:22. Apud Danielem cap.12:11. à *remotione jugis uſque dum ponatur abominatio ſtupentis* numerantur *dies* 1290. Profertur autem *expectatio fidelium ad dies* 1335. v.12. Interim Beſtiæ aſſignantur dies *faciendi* 1260. ſive menſes 42, qui, ut jam demonſtravimus, *annos* non minùs *mille* comprehendunt. Apoc.11. 13. 20. Notantur autem in hac pericopa *tempus*, *tempora & dimidium* Apoc.12:11. & Dan. 7:25. 12:7. quibus reſpondere poſſunt *dies tres & dimidium* Apoc.11:9. 11. Numerat etiam Apocalypſis in tempore beſtiæ *ſeptem phialas* Apoc.15.&16. (ad quarum alicujus tempus refero annũ deſtructionis gloriæ Kedar Eſ. 21: 16.) & *menſes quinque* locuſtarum inde à caſu ſideris magni in terram, Apoc.9:5. 10. Eſaias autem cap. 23:15. *ſeptuaginta annos oblivionis Tyri.* quos credo in myſticæ Tyri negocio eſſe requirendos, non alibi. Omitto *ſeptem menſes* ſepulturæ Gog & Magog Ezech. 39: 12. & 7. annos combuſtionis armorum, ib. v. 9. De quibus anno 1645. conjecturam noſtram publicavimus. Omitto etiam 40. annos deſolationis Ægypti & Cuſch, Ez. 29: 11. 12. & ſemihorium ſilentii in cœlo Apoc. 8: 1. Atque hi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

hi ſunt ſacri numeri prophetici temporis, qui mihi occurrunt. Prodeſt autem, cognitas habere pleraſque tales ſupputationes, ut, quomodo eæ temporibus accommodari ſoleant, in exemplis certis diſcamus. Nos, ut ad inſtitutum propiùs accedamus, non habemus annos in Scriptura numeratos, poſt quorum lapſum beſtia erat extitura. Ergo etiam poſtulari à nobis non poteſt, ut ex annis numeratis hiſtoriæ Beſtiæ initia probemus. Niſi quis forte ſuſpicetur, numerum Beſtiæ 666. annos notare. Quod qui exiſtimat, is certè in tempus Beſtiæ jam extantis incidet. Proximum eſt, ut conſideremus, annon *ſigilla*, vel *tuba* vel *Epiſtola* nobis initia Beſtiæ exhibeant. Nolo autem hîc me adſtringi ad illam quorundam hypotheſin, ſigilla omnia præcedere omnes tubas: & ſigillorum ac tubarum omnium æquale tempus eſſe. Hæc enim nullo fundamento nituntur. Clarum enim eſt, dum Agnus aperit ſigilla, ſeptem angelos buccinare; &, quæ in tubis dicuntur, conjungi & concurrere cum effectis ſigillorum. Ita ſigilli ſeptimi effectus eſt *ſilentium ſemihorii*, cap. 8: 1. cui ſuccedunt *voces auditæ in cœlo* ſub tuba ſeptima, c. 11: 15. Sed rerum evidentia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

dentia optimum & irrefragabile argumentum eſt. Sigillum primum apertum eſt, ut, quæ ſcripta ſunt in libro Dei de prima parte temporis Novi Teſtamenti, poſſent legi & recognoſci. Nempe equus candidus & ſedens in eo cum corona & arcu vincens prodiit & ut vinceret. Apoc. 6:2. Quid hæc, niſi Eccleſia ſanguine Chriſti abluta, gratiam habens in oculis Dei & hominum, in mundo pacato, dum duraret *fœdus pactum inter populos*, ſub Chriſto rege feliciter Euangelium prædicans & multos ubique per potentiam verbi ſubjiciens Chriſto & ſibi. Rectè Primaſius animadvertit, præcipua illius Eccleſiæ membra eſſe Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, comites Apoſtolorum. Eis competunt laudes *angeli* Eccleſiæ Epheſinæ, quæ extant cap. 2:2.3. *Novi opera tua, & laborem tuum & patientiam tuam, & quòd non potes ferre malos; & periculum feciſti eorum, qui ſe dicunt Apoſtolos, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces; & ſuſtinuiſti & patientiam habes, & propter nomen meum laboraſti, & non es delaſſatus.* Sed ad inſtitutos ab Apoſtolis ſeniores & doctores pertinet increpatio, quæ ſequitur v. 4. Nihil enim eſt verius eo

Pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Primaſii, quòd *angelus* in Epiſtolis ſignificet *Eccleſiarum rectores populi, qui ſingulis Eccleſiis præſidentes verbum vitæ cunctis annunciant.* Ea autem increpatio eſt ſine dubio maximi momenti. In genere quidem dicit, *Omiſiſti dilectionem tuam primam.* Quod ut in æquè generalem conceptum transferamus quid aliud eſt, quàm hoc: eos doctores & rectores, qui ſecuti ſunt Apoſtolos, non habuiſſe parem ipſis dilectionem, non par ſtudium, laborem, patientiam, humilitatem? Et, ſi omnes, qui fuerunt poſt Apoſtolos, uno loco eſſent, & hæc nos docentes audirent, an putamus vel unum futurum eſſe, qui id neget eſſe verum? Porrò, quum conſtet, Apoſtolis miniſterium commendatum fuiſſe non dominatum, & deinceps miniſterium videamus mutatum in principatum, iuriſdictionem, imperium, legiſlationem (quæ vocabula à foro in Eccleſiam migrarunt) quid cauſæ dicemus huic malo, niſi quòd dilectio in ſequentibus fuit minor, quàm in præcedentibus? Nam miniſterium eſt laboris, humilitatis, patientiæ; at poteſtas videtur exhibere tranquillitatem &, cùm minus moleſtiæ, tum fructum uberiorem bonorum tempora-

pora-

poralium. *T*amen hiſce laus illa datur, quòd oderint facta *Nicolaitarum* : ſive hi fuerunt homines pietatem & libertatem transferentes ad laſciviam ; ſive φιλοπρωτεύοντες, & gaudentes à fidelibus dici, Ego ſum illius. Qui ſunt *Bileami* pſeudoprophetæ ſimiles. Nam & nomina *Bileam* ac Νικόλαος inter ſe congruunt. Et quo nomine ænigmatico populum habens in poteſtate diceretur commodiùs, quàm hoc, νικόλαος? Poſt ſigilli primi apertionem buccinat buccinator primus ; & *grando, ignis, ſanguis conjiciuntur in terram, & omnis arbor viridis, atque omne gramen viride comburitur.* Apoc. 8:7. h. e. durante adhuc pace, Judæi cum multis malis luctantur. Qualia multa apud Joſephum deſcripta ſunt. Magna ex parte viror à ſynagoga abit, & multi faventes Chriſtianis ut graminis virorem habentes retorreſcunt. *Terræ* in ſacris ſæpe notat eum populum ſive eam multitudinem , in qua verbi Dei ſementis fit, & fruges bona ſperatur. Id ab antiquo fuit Iſraël. *Sigillo ſecundo aperto* prodit *alius equus rufus, & ſeſſori ejus datur auferre pacem à terra, & ut ſe invicem occiderent ; & ei datur magnus gladius.* Equidem non repugno,

quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

quin intelligatur alius populus ſanguinarius & cruentus. Mihi tamen videtur æquè commodè intelligi Eccleſia *in alio ſtatu*, nempe afflictionis & martyrii: ejuſque ſeſſor item Chriſtus. Simile ænigma eſt Zach. 1: 8. Chriſtus autem *tollit pacem de terra*, Zach. 11: 10. *Datur* hoc ipſi: quia jure ſuo *poſtulat*. Pſalm. 2: 8. 9. *Poſtula à me, & dabo—. conquaſſabis eos ſceptro ferreo, tanquam vas fictile facies eos diſſilire.* Conſequitur, quum Judæi & gentes manus ſuas imbuiſſent ſanguine Chriſtiano, ut ſe invicem mactent, Romani ſe invicem, Judæi ſe invicem, Romani Judæos. Et illa mactatio diu duravit. Datur ei *gladius magnus.* Qualis eſt gladius populi Romani. Sed habet Chriſtus & alios gladios, quos adhuc vibrat. Eccleſiam autem cruentatam ſuo ſanguine deſcribit Epiſtola ad Smyrnenſes, Apocal. 2: 9. 10. Succedit buccinator ſecundus, & *tanquam mons magnus igne ardens conjicitur in mare*, h. e. populus hactenus illuſtris in mundo, valens opibus, multitudine, robore hominum, nempe Judæus bello æſtuans abſorbetur ita in mundo gentium (quæ ſunt ut mare infrugiferum) ut nulla ejus amplius politia extet. Apocal. 8: 8. tum

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

& maris tertia portio ſit ſanguis, h.e. perſecutio Chriſtianorum paſſim fervet; nec deſunt perſecutoribus deinceps bella. Multi, qui inceperant veritatem Euangelii guſtare, & vanitatem cultûs idolorum perſpicere, propter perſecutiones à voluntate ſumendi nomen Chriſtianorum abſterriti ſunt: magna pars Eccleſiarum ſive cœtuum Chriſtianorum diſſipata eſt. Apoc. 8: 9. In hoc tempus incidit furor Draconis, dejecti de cœlo, Apocal. 12: 9. 10. 11. 12. 13. Neque difficile eſt videre, quomodo per hæc mala Angelis Eccleſiarum ſuum candelabrum motum ſit ex loco ſuo: quando & populus Judaicus concuſſus eſt, & Chriſtiani paſſim ſunt coacti *fugere in deſertum*, quærentes *locum habitationis*, Pſal. 107:4. quibus tamen præparatus erat locus, in quo ad tempus alerentur. Apoc. 12:6. Quem articulum fugæ ſi obſervaverimus, fortaſſe proderit deinceps ad noſcendum tempus Beſtiæ. Notari verò cupio, quòd ad Smyrnenſes ſcripta Epiſtola promittit *Victori, non iri læſum à morte ſecunda*. Apoc. 2: 11. Sive Johannis tempore Smyrnæ fuit ſingularis perſecutio, ſive hæc ſcripta ſunt ad Eccleſiam primorum martyrum, ſub Nerone

&

& aliis Cæſaribus (quod magis reor) oſtendit, fidem radicatam, (ea enim eſt victoria Chriſtianorum) præſtare, ne quis violetur à morte ſecunda, h. e. ne iterum prolabatur ad peccandum ſive peccato ſerviendum in idololatria & omni libidine. Nam *prima mors* eſt ea, quam contraximus in Adamo. ut & Primaſius notat. *Secunda* eſt defectio. Quòd Apoc. 8:9 *dicitur tertia pars creaturarum in mari, eorum, quæ animas habent, mortua eſſe*, id de *ſecunda* hac *morte* intelligendum eſt. Quòd autem illa promiſſio illi articulo jungitur, ſuſpicionem ingerit, ne forte ſequens tempus ſit tempus Apoſtaſiæ & mortis ſecundæ: ut, quemadmodum mundus per præconium Euangelii inceperat vivificari, ut reſurgeret *reſurrectione prima*, Apocal. 20: 4. 5. ita jam mundus incipiat à veritate deficere, juxta comminationem, quæ eſt 2. Theſſ. 2: 11. 12. Sed id, ut & præcedentia deprehenſa ſunt, ex rebus ipſis eſt deprehendendum. Aperitur deinde *tertium ſigillū, & ecce equus, niger &, qui ſedet in eo, habet trutinam in manu ſua, & vox audita ex medio quatuor animalium dicens: Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario, &,*

Oleum

Oleum ac vinum ne læſeris. Cujus, quæſo, temporis eſt ſigilli tertii apertio, ut cognoſcatur, quæ tertia facies Eccleſiæ futura fuerit, quæ in libro Dei antea erat deſcripta? Nonne illius, quod ſequitur Eccleſiæ cruentationem? Si hoc obſcurum eſt, neſcio, quid clarum dici poſſit. At in re ipſa fortaſſe eſt obſcuritas. Primò illud non eſt obſcurum, *equum atrum* notare aliquid deterius & triſtius *equo albo.* Item, ſeſſorem, cui dicitur, *ne læſeris oleum & vinum*, non eſſe ſeſſorem primi Equi Chriſtum. Nam is dat *oleum & vinum*, non lædit. nedum ut is, cui *denarius* penditur pro opera, Chriſtum poſſit ſignificare. Porrò *equus ater* cui rei ſignificandæ convenit, niſi *zizaniis?* Quæ non ſunt lota & dealbata in ſanguine Chriſti. Quæ ſunt gentes calcantes atrium & ſanctam civitatem. & hæ, ut jam antea diximus, faciunt *beſtiam.* Ne verò deſideremus alteram beſtiam, ſeſſor hic introducitur cum *trutina.* ut habens *judicium*, ut appendens *denarium*, quem accipit. Poſtulat autem ab ipſo vox, quæ eſt in medio quatuor animalium, quæ etiam patiuntur eum præſidere, ut præbeat pro *denario* ſuo *triticum & hordeum*, cibum hominum &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

quadrupedum ; & , dum *judicat*, dum ſententias tonat , *oleum & vinum* h. e. eos, qui Spiritum Dei & veritatem lætificantem corda in ſe habent & loquuntur, *ne lædat*. Datur ſeſſori equi atri poteſtas ad judicandum & docendum , ſed ſententia Chriſti ſive decreto ejus coërcetur, ne damnet doctrinam ſpiritus ſancti. Ut hîc equus ater & ſeſſor cum trutina ſequitur equum cruentatum ; ita cap. 13. draconis imperium ſequitur Beſtia prima & ſecunda. Ita cap. 20:4. poſt ligatum Satanam *throni collocantur, & quidam in illis conſident, quibus & judicium datur:* ſed non illorum ſtatim eſt *vita*, aut *regnum cum Chriſto*. Hîc rurſus cum Primaſio (quanquam & is ſeculi ſui errore faſcinatus eſt) non intelligo *ultimum judicium* , ſed *regimen præpoſitorum*, ſeu thronos Eccleſiaſticos Epiſcoporum, metropolitanorum , primaſque ſedes. Hæc hierarchia in Concilio Niceno confirmata eſt. In iis thronis ſederunt Epiſcopi tanquam *pædagogi in Chriſto*. 1. Cor. 4: 15. Data eſt enim ipſis poteſtas judicandi, objurgandi, feriendi, præcipiendi, ordinandi, & denique dominatio principalis. *Data eſt* per diſpenſationem Chriſti à populo Chriſtiano.

Inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Inter illos *pædagogos in Chriſto* fuerunt & *patres*, ſed pauciores. Sederunt etiam inter illos, qui nihil aliud agerent, quàm nugas, & non docerent populum, ſed *terræ cultorum* officium facerent, Zach. 13. interim ſe præberent capita zizaniis, & in Conciliis ſua pronunciata pro θεοπνεύστοις valere vellent. Paulatim tales errores creverunt. Nemo non videt, ut zizania cum frumentis, beſtia ſive gentes cum ſanctis miſcentur, ita in eiſdem thronis præſidere pædagogos in Chriſto & capita beſtiæ, & in ordine illo rectorum eſſe mixturam, ut in populo: interim omnes conſentire in hoc, ut tales judicent, & habeant talem poteſtatem in Eccleſia, qualem paterfamilias habet domi ſuæ. Nam is tradit liberis ſuis parvulis, quæ debeant loqui, poteſtatem habet doctrinam quamvis loquentes vel admittendi vel excludendi. 2. Johan. 10. In hoc igitur ordine reperiuntur, qui faciunt omnem poteſtatem falſæ Eccleſiæ, quæ eſt beſtia, coram ipſa. Clarum eſt autem, potuiſſe contingere, ut beſtia etiam eos, qui revera erant *pædagogi in Chriſto*, nominaret illo modo, quemadmodum Paulus vetat ſe & Apollo & Cepham nominari. Quod qui fe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

cerunt, id loquuti ſunt, quod quale eſſet,
neſciverunt, &, dum id propter auctori-
tatem hominum locuti ſunt (ſi ea ſola
ratio loquendi & agendi ipſis fuit) etiam-
ſi vera locuti ſunt, non obediverunt
Deo, ſed hominibus. Quid autem ex
eo conſecutum ſit, quòd paucis homini-
bus, (in quibus ſanè hoc non eſt viſum,
quod Paulus & Cephas divinæ miſſionis
ſignaculum habuerunt) judicium datum
eſt, nullis verbis ſatis explicari poteſt.
Taceo, quòd inter illos *pædagogos* con-
ſedit ὁ Ἄνομος. Hoc ſolùm dico, eò quòd
paucis datum eſt judicium, & quidem
exercendum per modum mundanæ ju-
riſdictionis, crevit faſtus & affectatio po-
tentiæ in Eccleſia, & Epiſcopi facti ſunt
principes terreni. Deinde pars illa gra-
viſſima officii Chriſtianorum, ἡ κρίσις
judicium, à fidelibus ablata eſt: neque
deinceps cognoſcimus in Eccleſia vi-
guiſſe *luctum* univerſalem propter pec-
cata fratrum: (ſine quo, & manſueta re-
dargutione, non rectè diſciplina exerce-
tur. 1. Cor. 5: 2.) ſed potius, quod charita-
ti maximè contrarium eſt, porrectionem
digiti & obtrectationem fratrum. Eſa.
58: 9. Ex illo tempore auditæ ſunt ſenten-
tiæ hominum; quæ illud pondus habue-
runt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

runt apud homines, quod vis ipſis adſtruxit. Quanquam enim paſſim audiretur τὸ *Dic Eccleſiæ*, &, *Quiſquis Eccleſiam audire neglexerit*, &c. tamen vix quiſquam fuit, niſi ſuperſtitioſus aut utilitatis ſuæ cupitor, qui crederet, *Eccleſiam audire* tantundem eſſe atque unius vel paucorum hominum ſententiæ ἀδοκιμάστως *ſine exploratione* obſecundare. Sed, qui libenter crediderunt, ſuam juſtitiam eſſe, odiſſe & perſequi eos, quos pauci (gerentes Eccleſiæ nomen) damnaſſent; aut qui ex ea re lucrum captarunt; illi, ſine ulla alia ratione, propter ſententiam paucorum oderunt & perſecuti ſunt, quos voluerunt. Si cum his conferamus, quæ ſunt in Epiſtola ad Pergamenſem angelum, apparebit, eis convenire, quod ibi dicitur, nempe, *Novi ubi habitas, ubi eſt thronus Satanæ.* &, *Habes ibi, qui tenent doctrinam Bileam*, ſive *Nicolaitarum.* Apoc. 2: 13. 14. 15. Quid enim eſt thronus Satanæ, niſi thronus beſtiæ, & thronus pſeudoprophetarum collocatus inter thronos eorum, quibus judicium datum eſt? Nam de Bileami doctrina ſupra diximus. de qua etiam agit Petrus 2. Epiſt. c. 2: 15. & Judas verſ. 11. Hîc igitur reperimus tempus beſtiæ &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Bileamitarum, illud videlicet, quod ſequitur Eccleſiæ cruentationem.

Tuba tertia ſigillo tertio ſubordinatur. Ibi *ſidus magnum flagrans inſtar lampadis cadit de cœlo, & cadit in fluvios & fontes fluviorum. Nomen ſideri Abſinthium. Vertiturque tertia pars aquarum in abſinthium, & multi homines mortui ſunt ex aquis, quia amara facta erant.* Apoc. 8:10 11. h. e. Aliquis Epiſcopus aut aliqui Epiſcopi ſedentes in Eccleſia ad eam docendam & ei prælucendum, tanquam Dei loco, damnati ſunt & perdiderunt locum ſuum & auctoritatem in Eccleſia; ſed ii tamen doctrina ſua amara & minimè ſalubri infecerunt multos populos, & reges. ex quorum communione vel ex cujus doctrinæ conſequentia multi *mortui ſunt* morte ſecunda, h. e. defecerunt à veritate agnita ad varias hæreſes. Arius is eſt imprimis, ſine dubio, & ſocii ejus, quos magna hæreticorum caterva conſecuta eſt, errorem eundem nunc hoc nunc illo modo interpolantes. Ex his denique Muſulmanica lex originem traxit. Sequitur *ſigillum quartum.* Sub eo prodit *equus pallidus, & ſeſſor ejus, cui nomen eſt Mors, & Infernus eum ſequitur. Illis datur*

tur poteſtas occidendi quartam partem terræ gladio, fame, morte, & per beſtias terræ. Equus ater habet inſtar *impuri*, Eſ.64: 4. *equus pallidus* fatetur *mortem*: & *ſeſſor* eſt *mors*, h. e. pſeudopropheta, doctor ἀνομίας Hîc jam *revelatur filius perditionis. Infernus* eſt potentia ſecularis ſerviens pſeudoprophetæ, non patiens ſeductos à morte ad vitam redire, ſed interficiens eos, qui beſtiam non adorant. *Quarta pars terræ* exſtinguitur hac peſte. Deus novit, quot homines ſuſtulerit ea. Sed varia concurrunt mala. *Gladius*, perſecutionis; *fames*, inopia doctrinæ ſalutaris; *peſtilentia* in efficacia ſeductionis; *belluæ terræ*, vis tyrannorum. de quibus Eſ. 56:9. *Omnes feræ agri, venite, comedite omnes feras ſylvæ* Idem Eſaias cap. 57. ubi *ſcortum* illud *magnum* exagitat, oſtendit, *juſtos interire ne videant malum veniens*. v.1.2. Convenit huic ſigillo Epiſtola ad Thyatirenſes, quorum culpa eſt, quod ſinant *docere Ieſabelem, quæ ſe dicit prophetiſſam*. illiuſque *mœchis* regibus & *filiis* in futurum occidio denunciatur. Apoc. 2: 20. 21. 22. *Tuba quarta* c.8:12. facit tenebras in Sole & Luna & ſideribus. Quod explicatione non eget. *Sigillum quintum* c. 6:

 9.10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

9.10. 11. exponit animas trucidatorum propter ſermonem Dei, tanquam coram altari procumbentes, h. e. in Chriſto expetentes ultionem ſanguinis ſui à *terram habitantibus* h. e. illis qui in terreſtribus & externis rebus duntaxat, cum Eccleſia communicant, ſed in ſtatu cœleſti & ſpirituali cum ea non habent conſortium. Effectus autem harum precum, nempe repetitio ſanguinis ipſorum, differtur, donec & conſervi ipſorum, qui adhuc ſuo tempore trucidari debebant, adjicerentur. Interim dantur eis *ſtolæ albæ*, h. e. juſtificatur ipſorum cauſa coram mundo, ſcilicet dum inhibetur perſecutio fratrum ipſorum. Qui propter ſermonem Dei & teſtimonium Dei ſecuri percuſſi primitùs fuerant, martyres, inquam, regnarunt cum Chriſto, quando populorum ingens multitudo acceſſit ad Eccleſiam, (ut ſupra oſtendimus) ſed non videntur tamen tum *ſtolis albis induti fuiſſe*, quando Beſtia exorta eſt, quæ *habitantes in cœlo blaſphemavit*. Potiùs igitur tum demum accipiunt *ſtolas albas*, & qui ſecuri percuſſi & qui à Beſtia interfecti ſunt, quando *fides juſtificans*, quæ in utriſque fuit, per ſuſpenſionem perſecutionis eorum, qui eam docebant, clariùs
eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

eſt in mundo divina manu aſſerta. Sub *tuba quinta* (cap.9:1.) *ſtella magna cadit in terram* h. e. perdit auctoritatem, quam habuerat in Eccleſia; & ei *datur clavis* non regni cœlorum, ſed *putei abyſſi*: & illius regnum conditur. Eam *ſtellam* eſſe Antichriſtum, omnis ejus & *locuſtarum* & ἱππικῦ ſive *equeſtris exercitus*, quem ſub tuba ſexta produxit, deſcriptio teſtatur. De *cœlo* non cadit, nec ſtella fuit, qui in Eccleſia non habuit auctoritatem ad docendum & judicandum, tanquam Dei loco. Neque ulla ratio eſt dubitandi, quin, quando lapſa eſt hæc ſtella de cœlo, *ceciderit Babylon*; & ex eo prædicatum fuerit, *Babylonem cecidiſſe*. Apoc. 14:8. 18:2. Nam in iis locis non ſignificatur Babylonis abolitio, verùm diminutio auctoritatis & poteſtatis ipſius; nempe dum cogitur pati, ut ii, quos perſecuta erat, eam non metuant amplius, eique non obtemperent. In eo enim *caſu* eſſe ſeparationem fidelium ab illa, docent verba c.18:2. *Cecidit, cecidit Babylon, & facta eſt domicilium dæmoniorum & omnis alitis immundi.* Non igitur habitant in illa *οἱ δόκιμοι*. Hîc finitur nutritio mulieris à gentibus: quando gentes abeunt à muliere, & peculiare ac ſepa-

ratum regnum inſtituunt. Et ex eo gentes non calcant civitatem ſanctam: licèt Eccleſiæ zizania non deſint. Hîc finitur tempus, quo *facit* Beſtia. Hæ res eodem termino circumſcribuntur. Ex illo igitur hoc agit Satanas, ut ***civitatem ſanctam*** & ***caſtra ſanctorum*** per Gogi & Magogi multitudinem, & myriades Euphratæas oppugnet. Apoc. 20. & 9. ſub tuba ſexta: poſtquam coortus eſſet terræ motus magnus ſub ſigillo ſexto. Apoc. 6: 12. Cum quo terræ motu quæ connectuntur, ſine dubio conſequentia ſunt belli illius magni. Sed ex dictis ſatis patet tempus Beſtiæ, quæ ſuccedit Draconi, & Babylonis.

Omnia illa, quæ protuliſti, ex libro, qui ſcatet ænigmatis, ſumta ſunt; & quædam alii non ita intellexerunt. Quamobrem vereor, ne multi his non ſint præbituri aſſenſum. Et quid faciet aliquis plebejus atque idiota, qui illa ita inter ſe comparare non didicerit? R. Non ſunt in Apocalypſi inſolentia & inuſitata ænigmata: ſed hominum malitia & torpore fit, ut Scripturas, eo prætextu, quia habent ænigmata, relinquant: quaſi non ipſa ænigmata homines debuerint excitare ad eam legendam & partes cum partibus com-

comparandas; ut ex apertis & proximis ad obſcuriora & minùs propinqua procederent. Ita Judæis Vetus Teſtamentum velatum & obſcurum eſt, Chriſtianis patet aliqua ſaltem ratione, ut Chriſtum in eo reperiant. Similiter ſub N. T., qui amant mendacium, eos volentes latent, quæ de corruptione regni Chriſti & Eccleſiæ probatione atque emendatione non tantùm in Apocalypſi, ſed in toto Veteri & Novo Teſtamento ſcripta ſunt. Sed Veteres, qui in Apocalypſin ſcripſerunt, in eo vehementer peccarunt, quòd, quum prophetiarum Veteris Teſtamenti non magnam haberent peritiam, ſeſe ad commentandum accinxerunt: deinde, quum non animadverterent parallelas Scripturas, & nondum implementa vidiſſent, de iis, quæ futuri temporis erant, ex falſis hypotheſibus pronunciarunt. Satius enim erat, quæ non intelligerent (quippe quorum implementa non viderant) intacta relinquere, quàm hallucinationibus ſuis poſteritati præjudicium facere, præſertim quum ipſa Apocalypſis *librum obſignatum* dicat aperiendum paulatim κατὰ σφραγῖδας, q. reſignatis ordine ſigillis, ut, quod de ſingulis partibus temporis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ſcriptum erat, ſuo tempore noſceretur, donec *liber apertus* omnibus legendus proponeretur. Sed, quemadmodum culpanda eſt temeritas eorum, qui ante rem geſtam de rebus incompertis ex falſis hypotheſibus pronunciarunt; ita excuſari tergiverſatio illorum non poteſt, qui, quum videant res ipſas, ſimulant ſe dubitare, an de iis rebus ænigmata ſpiritus ſancti debeant intelligi, quibus rebus ſignificandis aptiſſima ſunt. Quæ tergiverſatio magnam noxam mundo importat. Judæis ſuſpectas facit prophetias Novi Teſtamenti, quaſi in ſpiritu mendacii editæ ſint: ſaltem eis non patitur oſtendi veritatem illarum, ut vel per has convincantur, Novi Teſtamenti literas eſſe à Deo. Præterea hæc tergiverſatio comparata eſt ad homines in errore retinendum, & à veritate avertendum. Denique, ſi non licet nobis ea, quæ fiunt, cum prædictis comparare, libri ſacri nobis fiunt inutiles; & dubitari eodem jure poterit, an liceat ea, quæ in Veteri Teſtamento de Chriſto ſcripta ſunt, ad D. Jeſum applicare. Quod idiotam attinet, eſt, quod ipſum tutum faciat, etiamſi ænigmata prophetica non omnia intelligat. Quanquam plus periculi

riculi imminet ſapientibus hujus ſeculi, qui non intelligentes ea, quæ ſunt ſpiritus ſancti, & gloſſis ſuis verba ejus obruentes ſeipſos ſuis ratiocinationibus obfirmant, ut audeant ea dicere & facere, per quæ implent judicium, quod de ipſis præſcriptum eſt. Idiotas igitur tutos facit fides, amor veritatis & timor, ne quid audeant credere ac ſuſcipere, quod neſciunt, an ſit verbum Dei. Fideles enim colunt bonam conſcientiam. Ipſa prophetia prænunciat, fore centies quadragies quater mille, qui non ſint adoraturi beſtiam, neque ſuſcepturi ſignaturam ejus. Illos ſalvavit fides fundamenti, & timor judiciorum magnorum, quæ tum in Apocalypſi tum alibi deſcripta ſunt; licèt ignorarent, quæ vera facies eorum judiciorum eſſet. Nonne potuit illos cautos & ſollicitos facere admonitio Chriſti, venturos eſſe multos pſeudochriſtos & pſeudoprophetas, ut non reciperent hominum dicta? Non prænunciatio eorum, quæ illi dicturi erant, ut illis non crederent? Non fides Scripturæ & fundamenti, ut, quæ ab analogia fidei diſcrepabant, rejicerent, & ſejungerentur ab illis, cum quibus non poterant eſſe, niſi cum illis peccarent?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

rent? Quæ claris verbis prædicta & præcepta ſunt Matth 24. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 2. Theſſ. 2. 1. Johan. 2. & 4. Supra hæc omnia exſtat prophetia à Domino ipſo pronunciata cap. 24. Matthæi, quæ ordinem rerum liquidò explicat. Quam potuiſſe quempiam latere, equidem totus ſtupeo. Primò dicit verſ. 4. *Videte, ne quis vos ſeducat.* Satis hoc erat, ut nihil niſi certum verbum Dei acciperemus. *Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus; & multos ſeducent.* Quis nos ſecuros faciet, inter Chriſtianos non ſurrecturos fuiſſe, qui, etiamſi verbo tenus confiterentur, Jeſum eſſe Chriſtum, tamen ſibi arrogando id, quod eſt Chriſti, reipſa Jeſum eſſe Chriſtum negarent? Poſt illa munit adverſus bella & cætera mala, addens: *Videte, ne perturbemini.* &, *Nondum eſt finis* Duo imprimis bella prædicit: *Gentis contra gentem*, quale eſt Judaicum: *& regni contra regnum*. quale eſt Antichriſtianum. *Hæc omnia*, inquit, *principium parturitionum.* Talia quum cæperint fieri, parturiendi occaſio eſt. Quid porrò? *Tunc, quum illa inceperint fieri, tradent vos in afflictionem & interficient vos.* Id quidem evidenter factum eſt in perſecutio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ne pagana. *Et tunc* (deinde) *offendentur multi & alii alios tradent & ſe odio habebunt invicem.* Id in hæreticis & occaſione hæreſium factum eſt. *Et* (eodem tempore) *multi pſeudopropheta excitabuntur, & multos ſeducent.* Quinam verò ſcandaliſantur, niſi qui Chriſti nomen induerant? quinam ſeducuntur, niſi qui videbantur ad Chriſtum acceſſiſſe? Nam gentes non iri ſeductum porrò, ut antea, Apocalypſis dicit; & incolas terræ adoraturos beſtiam & imaginem ejus. Quòd ſi autem pſeudoprophetæ etiam inter Chriſtianos ſunt; qui ſibi volunt credi, & loquuntur doctrinas dæmoniorum, utique, quo tempore ii futuri ſint, hinc clarum eſt. *Et eò quòd abundabit* ἀνομία *legis neglectus & mutatio, multorum charitas refrigeſcet.* Hoc ordine ὁ ἄνομος cognoſcitur. & diviſiones & controverſiæ & ſuſpiciones & odia; quæ omnia *mutationem legis* comitantur. *Sed, qui perſeveraverit ad finem* (ut non ſeducatur ad adorandum beſtiam) *ſalvabitur*, etiam ab illa tentatione & preſſura. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in univerſo orbe; & tum* (deinde) *veniet finis.* Quis perſuaſit Veteribus, ut τὸ Ἄνομον ponerent poſt prædi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

catum Euangelium regni, quem Chriſtus manifeſtè præponit? Neque ſatis fuit Chriſto ordinem rerum ſemel propoſuiſſe, ſed eundem replicat iterum. *Quum videritis abominabile deſolationis ſtans in loco ſancto*, ſive, ut apud Lucam eſt c.21: 20. *Quum videritis circumvallatam ab exercitibus Hieroſolymam, tunc cognoſcite, quòd prope ſit ejus deſolatio*, vel, ut apud Matthæum eſt, *fugiat quiſq;*, &c. Hoc primum tempus. Secundum. *Tunc* (poſtea) *ſi quis vobis dicat, Ecce, hic eſt Chriſtus, aut hîc:* ſive ſit alius, qui ſe pro Chriſto venditet, ſive quis dicat, mentem Chriſti in hoc vel in illo loco, ſede, cœtu, multitudine quærendam eſſe; ſive etiam dicat, Fidei apicem eſſe credere, quod Chriſti corpus adducatur in terram, in manus & ora hominum: *nolite credere. Excitabuntur enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ*, &c. Tertium tempus, v. 29. *Statim vero poſt afflictionem illorum dierum* (quam pariet ſeductio & electorum contradictio) *ſol obſcurabitur & luna non dabit lucem ſuam*: doctores Eccleſiæ & rectores populorum non erunt in lucem, ſed in tenebras, *& ſtellæ cadent de cœlo*, Epiſcopi dominantes perdent locum & auctoritatem, (Vide

Eſ.24.

Eſ. 24.) *& virtutes cœlorum movebuntur* (vide Apoc. 6: 13. 14. 20: 11. 21: 1.) Quartum tempus v. 30. *Et tunc apparebit ſignum filii hominis in cœlo*, Chriſtus in ſignum ſtabit omnibus gentibus; & ſolus ex cœlo loquens cognoſcetur. Eſ. 11: 10. 11. Ibi animadvertitur imminens Chriſti adventus, & fiet collectio electorum ex toto mundo, v. 31. ſine dubio per prædicationem *Euangelii regni*, cooperantibus *angelis*. Ut enim angeli inſerviverunt Deo olim ad ſtabiliendum thronum Moſis, ita ſerviunt Chriſto ad collectionem, coadunationem & defenſionem fidelium in regno ipſius. Actor. 7: 51. Hebr. 1: 14. Apoc. 12: 7. Confer Eſ. 11: 11. & ſeq.

Igitur, quantum colligo ex his, quæ dixiſti, tibi Babylon *eſt Romana Eccleſia.* R. Neceſſe eſſe, ut jam exſtiterit Babylon, ex ſuperioribus clarum eſt. Neque tamen Eccleſiam Romanam ſimpliciter voco Babylonem, ſed omnes illos epiſcopos, presbyteros, doctores, qui, ignorantes fundamentum & veritatem non amantes, unquam dixerunt ac putarunt, neceſſe eſſe, ut homines verbum Dei accipiant ab illa ſede, & ſine declaratione illius ſedis ſufficienter ad fidem id

pro

pro divino cognoſci non poſſe, & interpretationem ab ea dictatam, aut leges ab ea præſcriptas aut approbatas, aut à concilio ipſorum injunctas juſtitiæ & ſalutis cauſa eſſe recipiendas; quique ad doctrinam Scripturæ addiderunt quidvis aliud, ſub anathemate, interim veritatem *juſtitiæ Dei* & *regni Chriſti* non rectè docuerunt: inter illos verò, qui ſuæ elationis cauſa bella concitarunt, matrimonia Epiſcoporum reſciderunt, & juſſerunt abſtinere à rebus, quæ per libertatem Chriſtianam, dummodò temperanter & cum gratiarum actione extra caſum ſcandali infirmorum uſurpentur, licitæ ſunt; & approbarunt invocationem ſanctorum, ac cultum imaginum; & opus operatum juſtificans, & ſacrificium Miſſæ. Maximè verò illos, qui de his etiam legem præſcripſerunt, non tanquam ex Scripturæ dictamine, ſed tanquam ex prophetico ſpiritu, qui ipſis ad non errandum præſto eſſet, ſub anathemate; & veritatem anathematizarunt. Diſtinguo enim *zizania*, quæ loquuntur & faciunt mala, & *hoſtes*, qui apertè Chriſto ſunt contrarii. *Beſtiam* autem *credo* eſſe populum, imperii Romani potentia ſuffarcinatum, & multorum populorum potentia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tentia amplificatum, Chriſtianum nomen præferentem, ſed fundamenti ignarum, nec amantem veritatis, ſe dedentem in obſequium talium Epiſcoporum & præpoſitorum, & ex eo obſequio juſtitiam & ſalutem ſperantem. Qui autem Scripturam tenuerunt pro ſufficienti inſtrumento doctrinæ, & fundamentum amplexi ſunt, & veritatem amarunt, etiamſi quibuſdam erroribus participarunt, aut eos tulerunt, non habeo pro parte Babylonis & Beſtiæ, ſed pro ſanctis victis & captivis. *Credo*, dixi: quia, ut credo Scripturis, quid ſit Eccleſia, & quæ ſit Eccleſia; ita iiſdem credo, quid ſit Beſtia & Babylon, & quæ utraque ſit.

Quemadmodum Beſtiam *vocare* Eccleſiam *eſt mirari beſtiam, & ei ſubjici eſt adorare beſtiam; ita* Eccleſiam *vocare* Beſtiam *&* Babylonem, *eſt ſine dubio* ſanctos *& eos*, qui in cœlo habitant, blaſphemare. *Vide igitur, ne, dum dicis, tales, quales deſcripſiſti, eſſe* beſtiam *&* Babylonem, *in hanc culpam incidas.* R. Utrumque diligentiſſimè vitandum. Benedictus, qui Eccleſiæ benedicit; maledictus, qui maledicit: maledictus, qui adorat non Deum. Sed vehementer mirabor,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

rabor, ſi ipſi errantes, diligentius perpenſare, & examinato dicto meo, non aliquo modo ejus æquitatem ſint agnituri. Qui impulſi hoc præjudicio, quòd eam multitudinem cum omnibus zizaniis, imò hoſtibus, putant Eccleſiam nominari, concludunt, eam doctrinam & eas conſuetudines, quæ ab omnibus ſunt aut videntur receptæ (ſi forte quæ ab omnibus receptæ & non contradictæ ſunt. Quod probare difficillimum eſt) eſſe bonas & à Deo; atque ita revera beſtiam adorant; eamque principium credendi faciunt. Sed, age, experiamur, an aliquid dici poſſit, quod meam definitionem infringat.

Prima *oppoſitio eſto hæc.* Romana Eccleſia ſola non eſt rea ſchiſmatis. Multi ab illa receſſerunt, illa non receſſit ab illis *vel* exivit ex illis. R. 1. Qui hoc ſcribit, is non negat, ſchiſma factum eſſe inter Eccleſiam Orientis & Occidentis. Quod is ipſe comparat cum ſchiſmate Ephraimi & Judæ. Atque adeò Zacharias c. 11:14. eam diviſionem vaticinatur ſub hoc ænigmate. *Et incidi virgam meam alteram Chobelim* (quomodocunque id vertamus) *ad irritam faciendam fraternitatem inter Iudam & Iſraëlem.*

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Sed diligenter conſiderandum eſt, quid fecerit Chriſtus, ex quo conſecuta eſt diſſolutio fraternitatis, & quæ ſit ea ſolutio fraternitatis. *Incidit* Chriſtus *virgam ſuam*, per quam rexit Eccleſiam, poſt fractam *virgam Nóam*, h. e. ſuſtulit & infringi ſivit virgam presbyterii prudentia potius quam valentia regentis Eccleſiam. Cum throni collocati ſunt, & iis, qui in eis ſederunt, datum eſt judicium, tum paulatim deinde presbyterii *cura* & *κυβέρνησις*, quæ erat בתחבולות *in ſapientibus conſiliis*, exolevit. Et ſtatim ſedes Conſtantinopolitana conſtituta eſt. Inter quam & veterem Romam perpetuæ fuerunt *æmulationes*. Quæ forte eſt קנאת אפרים *æmulatio Ephraimi* Eſ. 11:13. Succeſſit *Paſtor ſtultus* armis non convenientibus nitens Eccleſiam regere. Sunt autem omnes *Paſtores ſtulti*, qui volunt Eccleſiam regere per dominationem & juriſdictionem atque imperium & non perſuaſionem, *ἔλεγχον & demonſtrationem* ac communẽ *luctum*. Satis patet, occaſionem diviſionis inter Iſraëlem & Judam eſſe introductionem majeſtatis & principatus in Eccleſiam, & elevationem thronorum. Quæ res peperit æmulationem. Inde ſecuta

ſunt

ſunt odia & mutuæ inſectationes, atque etiam in quibuſdam novæ doctrinæ. Hæc res eſt. Quæ ſi vera ſunt, & clarè à Spiritu Sancto dicuntur, quis tam confidens erit, ut auſit negare, omnes illos paſtores ſtultos, qui in utraque parte fuerunt, in cauſa fuiſſe, quare inter Occidentales & Orientales fideles non fuerit deinceps ea communicatio, quæ inter fratres eſſe debebat? Et, quanquam in fidelibus Orientis potuit eſſe ſtulta quædam æmulatio pro ſuo Patriarcha, minor tamen eſt ea culpa, quam facere *imaginem Beſtiæ* & *eam adorare*. Quod quia hoc tempore nolunt facere Orientales Chriſtiani, ab Occidentalibus adoratoribus Beſtiæ ſchiſmatici appellantur. Neque verum eſt, Orientales exiviſſe ab Eccleſia Romana. Eodem tempore fundatæ ſunt Eccleſiæ Orientis & Romana; hæc tamen poſteriùs. Numquam pependerunt Epiſcopi Orientis ab Epiſcopis Occidentis. In Synodis vetuſtis ſatis clarè liquet, mentem Orientalium nunquam illam fuiſſe, ut ſupremum judicem & univerſalem Epiſcopum aut neceſſarium aut infallibilem interpretem Scripturæ recognoſcerent Papam Romanum. Quæ doctrina illis

planè

plane nova eſt: &, etiamſi culpa apud illas Eccleſias fuiſſet, quare primitus ſoluta fuerit fraternitas, tamen non poſſet hoc tempore ipſis imputari, quòd cum Romana, quę vocatur, Eccleſia non communicant. Fuerunt in ea parte inter Epiſcopos plurimi hæretici, & apud Occidentales verba fundamenti integrius ſonuerunt: ſed Imago beſtiæ apud hos conſtituta eſt. 2. Qui ſunt illi, qui perſecuti ſunt Waldenſes, homines innocentes, verbum Dei retinentes, rectè omnia credentes, excepto, quòd offenderentur curiæ Romanæ tyrannide; quemadmodum eos deſcribit Reinerius? Quos conſtat etiam non adoraſſe Chriſtum in pane, & plures alios errores Papatus abjeciſſe. Qui ſunt, *qui mactarunt pueros in vallibus?* Eſ. 57: 5. Nempe qui occidunt omnes, qui non adorant beſtiam & imaginem ejus, nec recipiunt ſignaturam ejus, non ſunt auctores ſchiſmatis? 3. Quæ verò iſta conſequentia eſt: In qua multitudine ſive congregatione ita aliquando mixti fuerunt fideles cum infidelibus hypocritis & non fundatis, ut ii à ſe invicem ſeparari non potuerint; in ea multitudine & ſocietate quaſi Eccleſiaſtica nunquam revelatur

ita

ita ἀνομία & lex defectionis, ut fideles cum defectoribus eos adigentibus ad defectionem communicare amplius non poſſint. Quæ regula nullibi ſcripta eſt, & apertè Scripturæ eſt contraria, ut jam in ſuperioribus eſt abunde demonſtratum.

Secunda *oppoſitio*. ***Si reformata Eccleſia eſt vera Eccleſia, ſequitur, aliquot ſeculis non fuiſſe veram Eccleſiam in mundo. Nullo enim tempore omnia illa, quæ in Eccleſia reformata docentur & geruntur, ita ſimul docta & geſta ſunt.*** R. Hæc oppoſitio præſupponit, Eccleſiam non eſſe, in qua ignorantia, error, & abuſus verſantur. Quæ regula rurſus falſa eſt, & in ſuperioribus apertè confutata. Neque nos, ſi nobis gratulamur, quod effugerimus eos, qui in errore verſantur, & ab inquinamentis multis liberati ſimus, & viam juſtitiæ cognoverimus, (quam ſuo tempore tam evidentem futuram prænũciaverat Eſaias, ut nec leves & fatui aberrent, Eſ. 35:8. & c. 11:9.) propterea adeò ſuperbi ſumus, ut alios contemnamus, & non putemus in toto mundo, ubicunque verbum Dei ſine abnegatione fundamenti prædicatur, poſſe eſſe Chriſtianos, licet ut parvulos in Chriſto

quoad

quoad ſcientiam quarundam veritatum & ſapientiæ, quæ in perfectis eſt: cum quibus nos unum eſſe novimus, licèt illos non norimus, quia cum illis eſſe cupimus, etiamſi cum illis eſſe non poſſimus; quia, ut cum illis ſimus loco & corpore, nobis peccatum facere & mendacium dicere non licet.

Tertia *oppoſitio. Papiſtica Eccleſia nihil tradit in publicis Confeſſionibus & univerſalibus Conciliis, quod aliquando ab Eccleſia in generalibus conciliis aut Eccleſiaſticis conventibus poſt ſufficientem examinationem fuerit reprobatum; neque prohibet, quod fuerit approbatum.* R. Et hæc regula fallaciſſima eſt. An novi errores ideò non erunt errores, quia à veteribus non ſunt reprobati? An errores veteres poterunt jam doceri ſub anathemate, quia à veteribus non ſunt anathematizati? Aut valebit prohibitio ejus, quod publicè non ita evidenter antea doctum eſt, ut nunc docetur, poſtquam ſufficiens examen à piis inſtitutum fuit; quia, qui prohibent profectum in veritate, non prohibent, quod ante profectum approbatum fuit publicè? Doceant nos, ſe fidem ſubjicere Deo non hominibus; ſe nihil tradere extra Scri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

pturas: ſe fundamentum rectè tradere; ſeque nihil addere fundamento à fundamento alienum, & non damnare, quæ docet Scriptura; & accedemus ad ipſos. Hanc regulam tradit Scriptura, hanc tenuerunt Chriſtiani ab omni ævo: hanc Papiſtica Eccleſia rejicit. Neque enim vult teneri ad Scripturam: ſed putat ſe poſſe quicquam tradere ſine demonſtratione ex Scripturis & quod extra Scripturas eſt, & anathematizare ſaltem conſequentias Scripturæ, &, ſi credimus Auguſtino, conſequentias fundamenti. Nam Auguſtinus cenſuit, ut ſupra vidimus, eum, qui fundamentum intelligit, non dicturum, *Ego ſum Cephæ*. tract. 98. in Joh. Vide ſupra p. 29. 30. Hoc igitur novum eſt. Hoc modo etiam veteres ignorantiæ, errores, abuſus, poſtquam principium & fundamentum mutatum eſt, & errorum cum veritate conflictus demonſtratus eſt, poſſunt fieri novæ leges impietatis, & nova abnegatio veritatis ſalutaris.

Quarta *oppoſitio. Ab aliquot ſeculis converſio regum & populorum facta eſt per & ad Eccleſiam Catholicam ſive Papiſticam & illorum, qui cum ea communionem coluerunt: idque ſecundum prophetiam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

phetiam Eſaiæ c. 60:11. *Alii contra aut parum protulerunt fines regni Chriſti aut ex ipſis Catholicorum ruinis ædificarunt.* Reſp. 1. Eccleſia Catholica ſemper fuit & eſt & erit prædicatrix fidei, & ſic miniſtra converſionis gentium. Sed 2. hoc nihil facit pro Papiſtica. Illam enim deſolari oportet; & per eam, qua talem, non eſt facta converſio ullius hominis. Acceſſerunt quidem multæ gentes ad Eccleſiam, in qua ſedit & tandem manifeſtatus eſt Antichriſtus, cuique permixta fuit Beſtia; ſed alii in iis populis facti ſunt cives civitatis magnæ, alii (& ſine dubio pauciores: licèt pro ſe multi) cives Civitatis ſanctæ. 3. Nullo autem modo defendi poteſt talis regula: Quæ multitudo & ſocietas habuit pro tempore in medio ſui ſanctos & duos teſtes ſive Scripturam, ad quam acceſſerunt gentes partim ut multiplicarent zizania, & cœtum beſtiæ, partim ut multiplicarent numerum ſanctorum; ea multitudo ſemper, etiam, poſtquam revelata eſt ἀνομία, & quando pars ejus deterior ſive errantes in illa legem Beſtiæ cogunt recipere, eſt portus ſalutis. 4. Antequam beſtia acciperet thronum Draconis, nemo acceſſit ad Eccleſiam cum tali terre-

na civitate ſociatam. 5. Habet Eccleſia promiſſionem, quod ad eam confluxuræ ſint gentes, ſed diverſis modis. Quos modos diverſos jam quidem in ſuperioribus explicavimus: ſed, quia operæ pretium eſt, eos ad unguem noſſe, & ſine illis veritas prophetiarum ſciri non poteſt; ad converſionem Judæorum & convictionem pleniorem eorum miſerorum, qui adhuc beſtiæ adulantur, etiam nunc ordine explicare conabimur: & quidem ex Eſaiæ illa parte, unde locus ille productus eſt: qui dicit, *Portas Eccleſiæ ſemper patulas fore, & gentes in eam ingreſſuras.* Tantùm hoc præfor: Nullam prophetiam ex Veteri & Novo Teſtamento de regno Chriſti loquentem proferri poſſe, quæ non diverſum illum modum ſive ſtatum Eccleſiæ teſtetur, in quo viſitur & aditur à gentibus. Eſaias igitur cap. 54. de primordiis Eccleſiæ Novi Teſtamenti agit, & pronunciat, *plures* fore *filios deſertæ quàm maritatæ.* Quod bene notandum. Filii enim Novi Teſtamenti ſunt filii Patriarcharum, qui fuerunt ante legem, quibus ſervitus impoſita non fuit, ſed quibus, credentibus promiſſioni, non fuit imputatum peccatum. Rom. 5: 13.

fue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Fuerunt enim juſtificati ex fide, ut Abraham ipſe, in præputio; & is demum circumciſionem accepit ſigillum juſtitiæ fidei, quam in præputio accepit. Tamen etiam tum *peccatum erat in mundo*, quia nondum deletum erat. Quod demum factum eſt per *ſanguinem Teſtamenti novi*. Zach. 3: 9. 9: 11. Matth. 26: 28. Nam, ubi non eſt lex promulgata cum terrore, dicens, *Qui fecerit, vivet in eis*, &, *Maledictus omnis*. &c. & imponens ſervitutem, ac commemorans peccatum, & ſic operans iram, ibi demum non amplius EST tranſgreſſio, ſed jam remiſſa eſt. Rom. 4:15. Filiorum igitur N. Teſtamenti mater non habet maritos, quales habuit populus Veteris Teſtamenti, qui erant ſacerdotes, ſeniores præcipientes, Prophetæ ſive doctores habentes clavem cognitionis ſibi peculiariter concreditam, inter quos Prophetas etiam expectabatur is, qui locuturus erat verba Dei, quæ nemo unquam audierat, niſi in promiſſione & magna parte in ænigmate. Sed mater filiorum Novi Teſtamenti h. e. Eccleſia ſolum *Deum factorem ſuum* pro *marito* recognoſcit. v. 5. Promittitur autem ei, fore, ut ſemen ejus poſſideat gentes, v. 3. ideò jubetur ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tendere ſua tentoria & funes ſuos, v. 2. h. e. Jubentur Apoſtoli in toto orbe Euangelium prædicare, certi, quòd fideles omnes illos locos habituri ſint ſubditos, in quibus illi prædicaverint: imo omnes gentes. Igitur Apoſtoli prædicarunt in omnibus locis ſecundum menſuram Canonis ſive lineæ miſſionis ſuæ: ſed ita, ut nondum regnum adepti ſint; contradicentibus Judæis & gentibus, & veritatem perſequentibus. Nam & perſequentium fit mentio & accuſantium ſive blaſphemantium. C. 55. inſtituitur adhortatio ad omnes ut accedant, imprimis ad Judæos. C. 56. inprincipio monentur Chriſtiani, ut *juſtitiam & judicium cuſtodiant*. Prope enim eſſe, ut *juſtitia Dei* & *ſalus ejus revelètur*. Commendatur *fœdus Dei*, ut *agglutinentur Domino*, ut ne *prophanent ſabbatum Dei*, h. e. ne profanas cogitationes, prophana verba & facta habeant in tempore illo, quo jam Deus quieverat ab opere ſuo, ſive ea, quæ ad *juſtitiam* & *ſalutem* requirebantur ſecundum promiſſionem, abſolverat. Promittit, *domum Dei vocatum iri domum orationis omnibus gentibus: & holocauſta ac ſacrificia ipſorum grata ſibi futura eſſe in altari ſuo.* Quæ de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

de veritate, non de typo intelligenda ſunt. Interim excandeſcit in *feras ſylvæ*, &, ut ultra *colligat ad Iſraëlem*, jubet *venire omnes feras agri, ut comedant omnes feras ſylvæ*. v. 8. 9. h e. propter dominantes in Eccleſia adducit gentes barbaras, ut illos conſumant. Ita tamen, ut illæ gentes barbaræ deinceps multitudini Chriſtiani nominis adjungantur, ut multi inter illos ſalventur. Tum deinde *epiſcopos* (quid enim ſunt צופים niſi σκοποὶ; & quid σκοποὶ niſi ἐπίσκοποι?) increpat propter imperitiam, ignaviam & luxuriem. v. 10. 11. 12. Cap. 57. teſtatur, *juſtos propter imminens malum ablatos eſſe*. v. 1. Quod ſanè ſignificat imminutionem fidelium. Mox compellat *Scortum & filios ſcorti*: iiſque tribuit perſecutionem, quando dicit v. 5. *qui mactatis pueros in vallibus ſub faſtigiis petrarum*. Quaſi deſignaret ipſum locum, ubi ſingulari cum crudelitate homines ſimplices & innocuos inſtar puerorum, imo pueros, interfecturi erant ſatellites Meretricis. Quis ignorat cædes in vallibus Alpium peractas eade cauſa, quòd homines illic habitantes non poſſent induci, ut crederent, Papam non mentiri: ſed putarent, tempus eſſe, quo omnis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

homo mentitur, niſi qui loquitur, quod ſpiritus ſanctus immediatè loquitur ad omnes, & immediatè revelat hominibus per verbum publicum. Tamen & hoc tempore promittitur *ſanatio*, & *pax, tum propinquo, tum longinquo*, h. e. ei, qui ad Chriſtum accedit, & ei qui à Chriſto recedit. Quæ eſt Pax Religionis. v. 19. Et per hoc ſignificatur Divisio. In Pace tamen illa improbis & juſtitiam Chriſti non habentibus negatur pax, quia quieſcere non poſſunt. At cap. 58. & 59. eſt increpatio illorum, qui prope acceſſerant aut acceſſiſſe viſi erant. Quæ quàm juſta ſit, cuivis ſua conſcientia dictare poteſt. Neque contradicimus. Manum ponimus ad os: imò os in pulvere ponimus, donec Deus miſereatur noſtri. Et fit mentio anguſtiæ noſtræ. cap. 59: 1. 2. 9. 10. 11. Nihilominus novimus nobis dictum, *Verbum meum, quod poſui in ore tuo, non recedet ab ore tuo* Succedit tandem c. 60. in quo ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος h. e. ultimum tempus ſeculi depingitur. Unde etiam Apocalypſis quædam aſſumſit cap. 21: 23. 24. 25. 26. Igitur ſanè patent oſtia Eccleſiæ, ſed non uno modo ſe habet ingreſſus gentium, donec ingrediatur plenitudo gen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

gentium; quando totus Iſraël ſalvabitur. Quod myſterium probat Apoſtolus Rom.11:26.27. ex Eſ. 59:20.21. *Primo* prædicatur Euangelium inter Judæos & gentes cum omnium contradictione; quæ etiam in perſecutionem ſæviſſimam exaſperatur. *Deinde* in pace, ſed ita, ut feræ beſtiæ in medio Eccleſiæ ſtabulentur & ſub Epiſcopis dormientibus, & docere neſcientibus, & luxui ſervientibus. *Poſtea* imminuuntur juſti, revelatur meretrix, quæ perſequitut fideles. *Quarto* dat Deus pacem propinquis & longinquis. Sunt igitur alii propinqui, alii longinqui. Sed improbi meditantur bellum. *Interim* illi, qui prope acceſſiſſe videbantur, inter ſe jurgantur, & non obſervant Sabbatum Domini. *Sequitur* illorum oppreſſio & coarctatio. Tandem Deus adducit hoſtem, qui inſulis retribuat pro merito. *Deniq;* omnia Eccleſiæ ſubjiciuntur: ſed pedetentim. Ergo error eſt, ſic argumentari. Eccleſiæ portæ ſemper patent. Ergo ſemper augetur. Ergo, qui habent nomen Eccleſiæ & ſemper augentur, ſunt Eccleſia. Nam conſtat, ut jam nihil dicam ex Apocalypſi, Meretricem habere קבוצים *congregationes* Eſ.57:13. Quanquam 6, ne illud

quidem verum eſt, Papiſtarum regnum ſemper creſcere. Quot enim populi & regna receſſerunt ab eo? At, inquis, multi redeunt. Imò, inquam, hoc ipſum facit, ut erigamus capita noſtra. Dictum enim eſt Eſ. 23:14. *Poſt* 70. *annos habebit Tyrus ut canticum Meretricis. Exoleta meretrix tranſibit per civitatem. Scortabitur rurſus cum omnibus regnis, quæ erunt ſuper terra.* ut dicat, *ſedeo regina.* Imò, *Vbi eſt Deus illorum?* Deut. 32: 37.

7. Et illud falſum eſt, quod iſta argumentatio ponit: Numquam Eccleſiam fore tanquam occluſam. Apertè enim dicit Apocalypſis, *Sanctos victum iri*, cap. 13, & *templum Dei præ fumo adiri non poſſe.* c. 15: 8. *Fumus* templum obſepiens eſt ſplendor & copia beſtiæ & Babylonis. Hæc enim obſtant hominibus, non attendentibus ad Scripturas, ut non poſſint videre regnum cœlorum, ſed vel impingant in Beſtiam, quum Chriſti nomen ſuſcipiunt, eligentes hoc dicere & facere, quod plurimi dicunt & faciunt, non autem hoc agentes, ut obediant Deo: vel à Chriſtiano nomine recedant, ut Turcæ & Judæi.

Quinta *oppoſitio. Papiſtica Eccleſia urget unitatem in rebus fidei, & nunquam*

quam communicavit cum ullo, qui vel in uno fidei articulo ab illa diſſenſit; ne ſcil. ſana membra inficiantur: ſed, qui ab ea ſeparantur, tales homines nominant ſuos anteceſſores, qui in gravibus rebus fidei illis fuerunt contrarii; & offerunt fraternitatem iis, qui in gravibus rebus fidei cum illis non conveniunt, neque cum illis convivium Charitatis commune habere volunt, imò ipſos tanquam hæreticos perſequuntur, damnant & execrantur.
R. Duæ hîc regulæ proponuntur oppidò fallaces. Prima hæc eſt. Quæ multitudo non patitur ullum à ſe diſſentire in articulis fidei à ſe definitis, (adde) ſed omnes ab iis diſſentientes perſequitur uſque ad mortem, eſt vera Eccleſia: & extra eam non eſt ſalus. Atqui imprimis ſupponendum erat, quòd articulos fidei non nominet, niſi quos nominavit verbum Dei; & quòd teneat articulos fidei, quos tradit verbum Dei. Nam expellere, perſequi, interficere diſſentientes, eſt etiam beſtiæ proprium. Apocal. 13:16.17. Secunda eſt iſta: Qui dicunt, ſe pro patribus aut fratribus agnoſcere eos, quos tamen fatentur in magnis rebus erraſſe; & fraternitatem offerunt iis, à quibus damnantur, non ſunt verè fideles. Cre-

do, innui Reformatos; qui ſe ferunt pro filiis & ſequacibus eorum, quos *patres* vulgo vocamus, & Waldenſes, Huſſitas, appellant ſuos; & cum Lutheranis ſæpe egerunt de reconciliatione. Sed quid juſtius eſt, quàm ut eos dicamus in ſuperioribus ætatibus fuiſſe Chriſti fideles, qui nobiſcum idem fidei principium & fundamentum tenuerunt, & cognitionis profectum ex Scripturis quæſiverunt. An nobis permiſſum eſt dicere, illos non fuiſſe fideles, quia in quibuſdam hallucinati ſunt; quum tamen ipſi vellent corrigi & non juberent omnia ſua dicta recipi; aut ſaltem, ſi quid putarunt recipiendum eſſe, illud opinati ſunt cum fundamento congruere, & ex principio noſtro, Scriptura, eſſe ſumtum? Waldenſes verò (quales deſcribit Reinerius cap. 4. fatens *eos coram hominibus juſte vivere, & bene omnia de Deo credere & omnes articulos qui in ſymbolo continentur; ſolummodo Romanam Eccleſiam blaſphemare, & clerum. Cui*, inquit, *Multitudo laicorum facilis eſt ad credendum*. ut appareat, multos inter laicos fuiſſe non bene ſentientes de clero iſtius temporis) quare abominaremur, quos ipſe perſecutor ipſorum abſolvit, quoſque multitudo

lai-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

laicorum pro bonis viris habuit? Quid vero peccaverunt noſtri, ſi benignè judicaverunt de Lutheranis ſe excuſantibus, quòd non ſtatuant vel præſentiam talem corporis Chriſti in Cœna, qualem Pontificii, vel adorationem ejus: ſique orati à noſtris ſunt, ut ceſſarent nobis imponere ſententias non noſtras, & ab odio gratuito deſiſterent? Si Chriſtus non voluit zizania colligi per tempus, quomodo poſſumus damnare eos, quos audimus proteſtari, quòd cupiant credere omnibus, quæ ſcripta ſunt; &, apud quos verba fundamenti reperimus, ſi id obtineamus ab ipſis, ut proprias ſuas loquelas nobis non dictent tanquam fundamentum? Nam ſanè nemo unquam Reformatorum, puto, fuit, qui in gratiam ullius voluerit etiam dici & doceri falſa & ſuſpecta; aut non dici ac doceri, quæ ſunt vera.

Sexta *oppoſitio. Apud Pontificiam Eccleſiam florent opera veræ pietatis. Ibi ſunt* θαυματουργοὶ *ab aliquot ſeculis: ibi, qui per votum virginitatis ſe eunuchiſarunt propter regnum cœlorum: & perfectionis ſtatum ſub obedientia ſpiritualium præfectorum ſectantur: ibi preces diurnæ & nocturnæ: ibi immenſæ erogationes in tem-*

pla,

pla, clauſtra, collegia, ſeminaria, ξενῶνας & πτωχοδοχεῖα *atque jocalia Eccleſiarum: ibi regulæ ordinum & fraternitatum: ibi martyria: ibi confeſſiones: ibi honorantur beati; ibi orationes pro mortuis, ut eo citius liberentur à temporali pœna, &c. apud alios vix ſpecies illorum omnium apparet.* R. 1. Equidem mirer, ſi quis dicat, inter Reformatos non licere piè vivere; aut pietatem ab iis non doceri & inculcari, ut neceſſe ſit propter pietatem non modò ad Pontificios concedere, ſed ipſam adeò Romam adire. Dudum non bene audit ea urbs & curia. Neque verò 2. tantùm opus eſt, ut inſpiciamus, quinam bona opera ſuadeant, qui non; ſed, qui tradant doctrinam, quæ eſt ſecundùm pietatem. Eſt autem pietas peccatoris, humiliter confiteri peccata, abnegare proprias vires & propriam juſtitiam, & Deũ in Chriſto amare, ut datorem juſtitiæ, ad gloriam ipſius. Etiam Judæi bona opera ſuadent, etiam gentes. Sed neutri doctrinam habent, quæ poſſit efficere, ut ames Deum, & in eo glorieris, & eum glorifices. Quicquid autem fit nõ ex corde puro, & fide non ficta, eſt ſine dubio miniſteriũ peccati & conſilii peccatoris, nõ verò dilectio: etiamſi ſit actio externa

præ-

præcepta. Qua de re non malè loquitur Auguſtinus, quando gentium virtutes vocat *ſplendida peccata*. Item contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium lib.3.c. 5. *Noſtra fides, hoc eſt, catholica fides juſtos ab injuſtis non operum ſed ipſa fidei lege diſcernit, quia juſtus ex fide vivit. Per quam diſcretionem fit, ut homo ducens vitam ſine homicidio, ſine furto, ſine falſo teſtimonio, ſine appetitu rei ullius alienæ, parentibus debitum honorem reddens, caſtus uſque ad continentiam ab omni omnino concubitu etiam conjugali, eleemoſynarum largiſſimus, injuriarum patientiſſimus, qui non ſolum non auferat aliena, ſed nec ſua repoſcat ablata, vel etiam venditis omnibus ſuis erogatiſque in pauperes, nihil ſuum proprium poſſideat, cum ſuis tamen iſtis velut laudabilibus moribus, ſi non in Deum fidem rectam & catholicam teneat, de hac vita damnandus abſcedat. Alius autem habens quidem opera bona ex fide recta, quæ per dilectionem operatur; non tamen ita, ut ille bene moratus, incontinentiam ſuam ſuſtentat honeſtate nuptiarum, conjugii carnalis debitum & reddit & repetit, nec ſola propagationis cauſa, verum etiam voluptatis, quamvis cum ſola uxo-*
re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

re concumbit, quod conjugatis ſecundum veniam concedit Apoſtolus, injurias tamen non patienter accipit, ſed ulciſcendi cupiditate fertur iratus, quamvis, ut poſſit dicere, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, rogatus ignoſcat: poſſidet rem familiarem, faciens inde quidem eleemoſynas, ſed non tam largas, quàm ille: non aufert aliena, ſed, quamvis Eccleſiaſtico judicio, non forenſi, tamen repetit ſua. Nempe iſte, qui moribus illo videtur inferior, propter rectam fidem, quæ illi eſt in Deum, ex qua vivit, & ſecundum quam in omnibus delictis ſuis ſe accuſat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, ſibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipſo ſumens & indulgentiam peccatorum & dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus, & in conſortium cum Chriſto regnaturorum recipiendus emigrat. Quare? niſi propter fidem? Quæ licet ſine operibus neminem ſalvat (ipſa enim eſt non repreba fides, quæ per dilectionem operatur) tamen per ipſam etiam peccata ſolvuntur: quia juſtus ex fide vivit. Sine ipſa verò etiam, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Omne enim, quod non fit in fide, peccatum eſt. 3. Accedit, quod non haben-

bendum eſt pro bono, niſi quod procedit à *bona conſcientia* h.e. conſcientia purificata per ſanguinē Chriſti, & recto exploratoque judicio ſecundum legem Dei, hoc , quod facis, eſſe θέλημα. Rom.12:2. Nam ταπεινοφροσύνη, *humilitas* quædam, θρησκεία ἀγγέλων , *cultus angelorum* & ſic beatorum ſpirituum , ἀφειδία τοῦ σώματος, *vexatio* proprii *corporis* , ἐντάλματα ἀνθρώπων, *præcepta hominum*, ἐθελοθρησκεῖαι, *electitii cultus* non ſunt boni commatis, neque in bona conſcientia fieri poſſunt, Coloſſ.2. nedum pro fructibus pietatis venditari. 4. Imprimis corrumpit bonum oſtentatio. Veluti eleemoſynas, preces, jejunia. Matth.6:3.5.7.16. Quare ſpes eſt , apud Reformatos meliùs erogari, orari, jejunari in occulto , quàm apud Pontificios in propatulo. 5. Non debet proferri à Pontificiis eorum pietas , qui in permixtione beſtiæ & civitatis ſanctæ fuerunt: antequam lex ἀνομίας daretur & ille contemtor legis revelaretur, & pii veritatem amantes & volentes in vera fide ſine ſuperſtitione & idololatria piè vivere, coacti ſunt ab illis ſecedere. Hi enim noſtri ſunt. Proferant potiùs eos, qui eorum effuderunt ſanguinem : & illorum laudent pietatem.

Nam,

Nam, qui, poſt perſecutionem paganam & Arianam, martyria ſubierunt, non alii ſunt, quã qui è Papatu exiverunt. 6. De patratoribus miraculorum non eſt, quod glorientur, ſi etiam poſt diviſionem, apud ipſos ſunt. De iis ſic Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 16. *Oſtendat Eccleſiam — ut non dicat, — ideò verum eſt, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille frater noſter aut illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniavit. Removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum vel portenta fallacium ſpirituum. Aut enim non ſunt vera, quæ dicuntur, aut ſi hæreticorum* (pſeudoprophetarum) *aliqua mira facta ſunt, magis cavere debemus.* Hîc citat Matth. 24. & 1. Tim. 4. & poſtea. *Exaudiuntur igitur multi & multis modis non ſolum Chriſtiani Catholici* (ut Apoſtoli & qui eis proximi fuerunt) *ſed & pagani & Iudæi, hæretici, variis erroribus & ſuperſtitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel ab ſpiritibus ſeductoribus, qui tamen nihil faciunt, niſi*

per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

permittantur, Deo ſublimiter atque ineffabiliter judicante, quid cuique tribuendum ſit; vel ab ipſo Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad ſolatium miſeriæ, vel ad monitionem quærendæ ſalutis æternæ. Ad ipſam vero ſalutem æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia, quam, ſicut ipſum caput, in Scripturis ſanctis Canonicis debemus agnoſcere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus & factis & dictis & viſis inquirere. Quam Eccleſiam non ſemper indigere miraculis, & Scriptura & Chryſoſtomus & Auguſtinus teſtantur. De qua re egimus & in libro de potentia Scripturæ, & de principio fidei Aphor. 25. p. 203. 7. Votum cœlibatus non poteſt laudari ut fructus pietatis: quia opus malum eſt. Licèt enim ſuo modo & ſuò tempore melius ſit h. e. utilius, idque propter infirmitatem carnis noſtræ, &, ut vacare poſſimus rebus Dei, eſſe extra conjugium; tamen & legem dicere ulli non nubendi eſt contraventio præcepti Dei, & ſolvere connubia rata ſub tali prætextu eſt ſolvere, quod Deus conjunxit, & juramentum Dei, quod

ratum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ratum eſſe debet, irritum facere: & ſe onerare tali voto & lege eſt temerarium; idque facere majoris meriti cauſâ eſt ſuperſtitioſum. Cœlibatus verò eorum, qui dicuntur clerici, certè non poteſt dici ſui caſtratio propter regnum Dei, quum nec abſtineant plerunque à muliere, neque etiam plurimi à carne aliena, &, quicquid faciunt, faciant propter regnum Antichriſti. Quod ex hiſtoria Concilii Tridentini clarè conſtat. In ea narratur in Conſiſtorio Papæ dictum eſſe à Card. Rodolpho Pio Carpenſi: *Si connubia ſacerdotibus permittantur, id inde conſecuturum, ut familiam, uxores & liberos alentes ad Principis quiſque ſui obedientiam reſpiciens Pontificis obſequium detrectet: ut liberorum charitas ab officio ad omnem Eccleſiæ fraudem ac præjudicium abducat: ut de ſacerdotiis in familias ſuas hæreditario jure adſciſcendis cogitent: ut denique intra breve tempus ſedes Apoſtolica urbis Romanæ cancellos non aſcendat. ante inſtitutum cœlibatum ſedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepiſſe, per hunc adeptam dominatum omnium ſacerdotiorum, quæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet.* Et alibi

Petrus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Petrus Suavis Polanus: *Legatis vitio vertebatur, quod hunc articulum ita periculoſum in diſputationem venire ſiviſſent; cum manifeſtum eſſet, permiſſo presbyterorum conjugio, futurum, ut omnes affectum & amorem ſuum in uxorem & liberos, adeoque in familiam & patriam convertant. Inde ceſſaturam arctam illam ordinis clericalis cum ſede Apoſtolica conjunctionem: ut matrimonium presbyteris concedere non aliud ſit, quàm Hierarchiam Eccleſiaſticam deſtruere & Pontificem redigere ad Romæ ſolius Epiſcopatum.* Hinc igitur eſt, ut fornicans & concubinarius non cenſeatur irregularis; ſed uxoratus: & ut lupanaria permittantur, ne ſacerdotibus deſit libidinis exercendæ occaſio, & matrimonia, ſcilicet, ſint tuta. Quid verò de illorum pietate dicemus, qui putant concubitum cum conjuge eſſe opus carnis? & nuptias ita manifeſtè blaſphemant?

8. Status perfectionis, qui adeò laudatur à Pontificiis, eſt ſtatus illorum, qui ſe patiuntur καταβραβεύεσθαι & δογματίζεσθαι, & non tenent caput, qui eſt Chriſtus. Coloſſ. 2: 18. 19. 20. 21. 22. 23. Quare & illa inter opera carnis numeramus. maximè τὴν πεισμονὴν, *obedientiam, quæ*

non

non eſt ex vocante. Gal. 5: 6. Quid? quod illi ſe cenſent poſſe *ſupererogare*; quum non poſſint Deo pro beneficiis exſolvere? Quibus convenit illud Joëlis cap. 3. *Numquid vos mihi pro merito rependitis? an bene de me meremini?* 9. Quod attinet *erogationes*, non neceſſariò illæ pietatem arguunt. Sed videmus apud Papiſtas ut expilatas plebes, ita alios prætextu longarum precationum in oblationibus matronarum & damnis pupillorum luxuriantes. Quæ in ſplendorem externum erogantur, nihil impedit quò minùs referantur ad ἀλαζονείαν τοῦ βίου & pompas Satanæ. 10. Regulæ ordinum & fraternitatum ſunt vel παρεφάσδς, vel mandata hominum, vel præſcriptiones actuum falſæ religionis, vel exercitia ſævitiæ in corpore proprio. 11. Confeſſiones h. e. enumerationes peccatorum ad impetrandam abſolutionem ſunt vinculum ſervitutis, exercitium impudentiæ, renovatio tentationis, & denique actus adorationis Imaginis beſtiæ. 12. Beatos honorari apud Papiſtas negamus, quia pro idolis habentur. 13. Oratio pro mortuis, ut ex purgatorio citiùs liberentur, non eſt opus pietatis, quia eſt fructus infidelitatis. Fides enim recipit

pit Chriſtum unicum advocatum, & affirmat, fideles habere jam in terra communionem cum cœleſtibus, & induiſſe cœleſte habitaculum, ac *corpus quidem mori propter peccatum*, quia eſt *corpus peccatorum carnis*, ut deſinamus peccare; ſed *ſpiritum eſſe vitam propter juſtitiam.* Hæc igitur talia non reperiri apud alios, minimè mirum eſt. Quomodo enim, qui timent peccare, eos imitarentur, qui neſciunt, quid faciant? Iſraëlitæ olim ſe valde jactabant, quòd paſſim adolerent: & Sanherib Ezechiæ exprobrat, quòd religionem imminueret, quòd diceret Judæis, debere eos in uno altari offerre. Erat igitur illorum cultus longè ſplendidior & devotior: ſed Deus ipſis imputat, quòd dæmonibus obtulerint ſua ſacrificia.

Oppoſitio Septima. *Eccleſia Papiſtica ſe maximè in omnibus locis totius mundi effudit.* R. 1. Antequam revelaretur Antichriſtus ſive imago beſtiæ, Eccleſia fuit vera, quæ in omnibus locis propagata eſt, ſed mixta cum adorantibus beſtiam. & ſine dubio ſuperſunt in illis reliquiæ. 2. Ex quo Papa ſe deum non tam verbo, quam reipſa appellare cæpit & legibus ſuis homines ſubjicere, & ad peccan-

dum

dum cogere, multos quidem ille aſſenſores habuit (& ita oportuit fieri) ſed & in magna parte orbis ei contradictum eſt, etiam in ipſo loco regni ipſius: ſed diſtinctis gradibus, nempe *tempore, temporibus, & dimidio temporis* illius commixtionis. Debuerunt enim *voces* audiri & rurſus conticeſcere, donec *Euangelium æternum* prædicaretur. Etiam poſt illa ſancta civitas & caſtra ſanctorum debuerunt à Gogi multitudine obſideri, Apocal. 20. imò Hieroſolyma debuit diripi, & populus ex ea captivus duci, & mulieres conſtuprari. Zach. 14: 1. Quare nec multitudo nos terret, nec paucitas facit deſperare; quum dictum ſit Pſalm. 107: 35. 36. 37. 40. 41. *Ponebat deſertum in ſtagnum aquarum, & terram aridam in ſcaturigines aquarum; & fecit ibi habitare famelicos, & conſtituerunt urbem habitationis; & conſeminarunt agros & plantarunt vineas, & fecerunt fructum proventus. Et benedicebat illis & multiplicabantur admodum, & armenta illorum non minuebat. Et diminuti ſunt & depreſſi propter imperium, malum, & mœſtitiam. Effundebat contumeliam in principes & fecit eos errare in vaſto ſine via. Et ſublimavit egenum*

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ex inopia, & poſuit inſtar ovium familias. Videbant recti & lætabantur, & omnis injuſtitia clauſit os ſuum.

Octava *oppoſitio. Pontificia Eccleſia ab hæreſibus omnibus eſt oppugnata, à nulla ſuperata; ſed omnes coram ea evanuerunt.* Reſp. 1. Ne ſibi aſſumat beſtia, quod eſt civitatis ſanctæ. 2. Poſtquam ea pars, quæ eſt beſtia, egreſſa eſt à ſanctis, facta eſt hoc, quod dicitur Apoc. 18: 2. Agnus verò illam vicit, quia dedit teſtibus ſuis duobus aſcendere in cœlum, & populum ſuum eduxit, & eum hactenus non ſivit ſuperari, neque ſinet; quia eſt rex regum & dominus dominorum, & habet gladium acutum, quo feriet caput ſuper terram amplam. Vide Pſalmo 110. & Deut. 32. & Pſalmo 68. & Apoc. 11.

Nona *oppoſitio. Romana ſive Papalis Eccleſia evidenter divina manu in ſummis periculis ſuſtentata eſt: adeo ut, ſi ejus ſtatus eſſet conſilii humani, jamdudum illam interiiſſe neceſſe fuerit. Vide enim. Triginta ſex Epiſcopi Romani fuere martyres. Iulianus, & hæretici Imperatores eos vexarunt. Roma ipſa à barbaris non ſemel capta, direpta, deſtructa eſt. Græci, Germani Imperatores ei graves fuére. Sederunt in ea ſede homines carnales & in-*

digni illo officio: qui tamen nihil in religione novarunt. In ſchiſmatibus, in defectionibus regnorum & populorum tamen conſervata eſt ea ſedes. Perſpicuum eſt igitur, thronum hunc à Deo erectum & conſervatum eſſe, & non conſiliis humanis conſiſtere. R. Omnia hæc in Scripturis dicuntur de Meretrice & Beſtia. Præfert nomen Apoſtolorum & martyrum. Vulnerato capite uſque ad mortem, reviviſcit beſtia & ſanatur. Mirantur illam habitatores terræ. Cornua ante ſe extantia humiliat parvum cornu Dan.7. *Videt* meretrix *manum*. Eſ.57:8. Habet *tempus*. Apoc. 2: 21. Per non minus mille annos beſtia adoratur. Apoc. 20:4. *Diebus h.e. annis* 1260. *facit*. Apoc 13:5. Reges dant ipſi potentiam & poteſtatem ſuam. Apoc.17:13. Uſque ad ultimum gloriatur: *ſedeo regina*. Apoc.18: 7. Et nihilominùs docet nos Spiritus Sanctus, quòd & Babylon & beſtia ſit à Diabolo per ſeductionem & conſilium humanum. 2.Theſſ. 2:9.10. Apoc.13:14. ſed ita, ut Dei judicium per eam impleatur. Quæ de capta & direpta ac combuſta Roma narrantur à Blondo decadis primæ libro 6. quum, muris dirutis, ædibus incenſis, tota conflagravit, & populus

lus diſperſus eſt, ut nec vir nec mulier in ea remaneret: ea ad vulnerationem capitis beſtiæ referri commodè poſſunt. Quid enim impedit, quò minus alio & alio modo beſtia vulnerata uſque ad mortem & tamen ſanata eſſe dicatur? Sed, quòd in ea ſede ſederunt nefarii homines, numquid id quoque nobis ſignum erit, eam eſſe ſedem Vicarii Chriſti? Non mutaverint *verba fundamenti:* an id ſatis ſigni eſt, eam ſedem eſſe Capitis Eccleſiæ? an potiùs Chriſtus hac ipſa re voluit oſtendere, ſe *vicariis* non indigere, nec *ſede*, in qua improbitas ſedere poſſet? Non debuerunt tum mutare verba fundamenti, aut ipſam veritatem fundamenti anathemate notare, quia debuit Antichriſtus in media Eccleſia revelari. Hic eſt effectus dicti illius: *Oleum & vinum ne læſeris.* Apoc. 6: 6. Eſtne autem dignus Chriſto vicarius, quem non licet imitari in factis? idoneus judex, qui ipſe judicio Eccleſiæ fuerat pro ſcandaloſo, pro publicano vel ethnico habendus? An potiùs argumentum eſt, quod in illa ſede ſederunt *homines animales* & non *ſpirituales*, eam eſſe thronum Draconis, & capita beſtiæ in eo ſedere? Schiſmata verò plurima & diuturna Paparum quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

relinquunt nobis certitudinem ſucceſſionis? niſi cum Onufrio dicamus, quò Papa, qui manſit, ſit legitimus. Acute Sedem eſſe divinam cognoſcimus e ſucceſſione non perturbata: rurſus ſucceſſionem legitimorum Pontificum credimus, quia eſt ſedes divina. Atqu etiam ſucceſſores non parvo ordine in vicem damnarunt memoriam & act præcedentium. Ubi igitur legitima ſucceſſio? Sedit denique in ea ſede Bonifacius VIII. & leges dedit, legem Beſtia ad *Senarium* (per quem prophetia cœtum beſtiæ numeratum per 666. diſcer nit à fundamento duodecim Apoſtolorum, in quo ſiti ſunt 144000. Agni quem pro charactere attribuit Magogo Ezechiel cap.39:2.) redegit. Qui Papa homo fuerit an Diabolus incarnatus, vix dici poteſt: niſi tota de ipſo mentitur Eccleſia & archiva regia, unde nuper hiſtoria ejus prolata eſt, mentiuntur. Dices, Etiam Judas inter Apoſtolos fuit Verum eſt, ita omnia illa capita beſtiæ (h.e. illi Epiſcopi, qui voluerunt ſibi obediri tanquam Spiritum Dei habentibus, ſine demonſtratione loquentibus, & aliud præter quàm quod ſcriptum eſt tradentibus) inter doctores Eccleſiæ ſederunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

derunt. Beſtia autem fortaſſe ad illa monſtra cohorruit: quia tamen cathedram terrenam magis ſpectavit, quàm cœleſtem, *beſtia* fuit: etiamſi in ea ſedere potuerint fundamentum in fide loquentes, & *parvulos in Chriſto* ut *pædagogi in Chriſto* judicantes, aut etiam, ut *patres*, docentes & in Chriſto filios gignentes. Sed beſtia non diſcit, ſed miratur externa & eligit dicere hoc, quod homines dicunt, & facere, quod homines faciunt ac præcipiunt; quemadmodum Iudæi faciebant tempore Chriſti. Eſ. 29:13. Matth. 15: 5. attendentes ad traditionem patrum, non ad verbum Dei: atque ita habentes הכרת פנים προσ-ωποληψίαν, Eſ.3:9. ſed non *timorem Dei.* Pſeudoprophetæ autem ſunt, qui ſine demonſtratione & ſine *manifeſtatione veritatis ad conſcientiam* loquuntur, poſtulãtes ſibi credi propter neſcio quid παρα-τηρητὸν *obſervabile*, & ſibi obediri tanquam poteſtatem præcipiendi & judicandi habentibus. In his enim, qui ſic tradunt & ſic audiunt, non eſt fides & bona conſcientia: &, quæ ſic traduntur ac recipiuntur, ſine fide & bona conſcientia traduntur ac recipiuntur. Nam fides ſpectat revelationem & teſtimo-

 nium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

nium Dei: bona conſcientia non eſt ſine amore ac timote Dei, inquiſitione veritatis & δοκιμασίᾳ τῶν διαφερόντων.

Decima *oppoſitio. Papalis Eccleſia habet ſua decrementa; ſed habet & incrementa. Ita pro Arrianis deficientibus Novatiani & Donatiſtæ redierunt ad eam. Loco Græcorum, qui in hæreſin de proceſſione ſpiritus ſancti inciderunt, Septentrionales gentes ei datæ ſunt. Loco Europæorum, qui eam deſeruerunt, multas Eccleſias in Aſia & Africa & America lucrata eſt. Contra adverſarii ejus pedetentim diminuuntur, &, perdita aliqua regione, extenuantur. Quod dies docet.* R. 1. Lucra Eccleſiæ, quæ viſa eſt facere ante diviſionem, quum ea *nutriretur à gentibus*, quum etiam gentes in *atrio* verſatæ ſunt; ſunt partim lucra Chriſti, quatenus in iis fuerunt, qui per miſericordiam Dei regenerati ſunt ad ſpem vivam: fuerunt & beſtiæ, quatenus homines carnales ex cauſis carnalibus ſuſceperunt nomen Chriſti & verba Chriſtianorum locuti ſunt aut audire ſuſtinuerunt. 2. Græcis propterea, quod noluerunt addi Symbolo à Latinis ſine communi conſenſu τὸ *Filioque*, hæreſin imputare, nimis durum & præfractum

eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

eſt: quum iidem confiteantur, Spiritum Sanctum eſſe *Spiritum Chriſti*. Aliud eſt, quod eos à Latina Eccleſia diſtinet; quod ſupra demonſtravimus. 3. Lucra Papalis Eccleſiæ in Indiis, in Africæ extremis & in America ſunt maximam partem κακὰ κέρδεα. Sed ſint optima; ſit juſtum imperium; conſtat tamen potiùs terras illorum populorum occupatas eſſe, quam populos converſos. Occiſi enim ſunt plurimi. Sic non ſolebant Apoſtoli. Deinde acceperunt à Monachis partim Scripturam, & ſymbolum & ſacramenta, partim errores. Qui credunt, noſtri ſunt. Qui errores priſcos cum novis commutarunt, Beſtiæ ſunt multitudo: & eos acquiſivit Beſtia, ut eſſent in exercitu Gogi *Perſæ* in Aſia, *& Cuſchai*, in Aſia & Africa, & *Put* in Africa & ultra mare Atlanticum. Cæterum eæ gentes hactenus ad notitiam Chriſti adductæ ſunt, quum voluit Deus, ut regnum ſuum ad eas approximaret, per eos, per quos tum voluit Eccleſiam gubernare. Nam conſtat, Chriſtum ad tempus accepiſſe habitum & arma paſtoris ſtulti. Zachar. 11:15. Quæ de imminutione, atque adeò defectione plurium objiciuntur, ea fideles terrere non poſſunt. No-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

runt enim, ut jam ſuperius dixi, Tyrum adhuc ſcortaturam fuiſſe cum regnis terræ, Eſ. 23. & Babylonem etiam in extremo gloriaturam fuiſſe de regno; & imminutionem Eccleſiæ prædictam eſſe. pſalm. 107. & Zach. 14. v. 1. 2. Norunt etiam *Euangelium*, quod cœptum prædicari, invita Babylone, *æternum* eſſe, & opprimi non poſſe: & dictum eſſe in epiſtola ad angelum Eccleſiæ Philadelphienſis Apoc. 3: 8. oſtium, quod Deus aperuit, non iri clauſum, etiamſi Eccleſia illa parvas vires habeat: & à Daniele cap. 12: 1. magnam anguſtiam & confractionem manus populi Dei prænunciatam eſſe. Quare triumphis Beſtiæ non moventur. Nihil enim in illis vident, quod non Beſtiæ conveniat. Id vel ex uno dicto Eſaiæ cap. 66. conſtare poteſt. v. 18. *Me* quod attinet, *Opera ipſorum* (*qui ſe ſanctificant & purificant ad hortos poſt unum in medio*, ut ſequantur Monarcham vicarium Dei, qui ſtet inter Deum & ipſos; idque poſtquam unus mediator Dei & hominum homo Jeſus Chriſtus exſtat) *& cogitationes eorum venere ad congregandum omnes gentes & linguas, & venient, & videbunt gloriam meam.*

Un-

Undecima *oppoſitio. In communione Eccleſiæ Papalis fuit Eccleſia primorum ſex ſeculorum. Papalis Eccleſia filios ſuos non obligat, niſi ad id, quod illis ſeculis doctum eſt. Potuerant quidem Patres in quibuſdam, re nondum ſatis diſcuſſa, privatim aliquid opinari, quod nunc non liceret; ſed univerſaliter & communi conſenſu non aliud crediderunt, tenuerunt, reprobarunt, quam ad quod nunc Papalis Eccleſia ſuos filios obligat. Perronius & Brerlejus in Apologia proteſtantium, uterque ad Iacobum M. Britanniæ regem ſcribens, demonſtravit, quis ſtatus Eccleſiæ fuerit ſub Conſtantino.* R. 1. Prudenter cavet is, qui hæc opponit, potuiſſe Patres in quibuſdam hallucinari, re nondum ſatis diſcuſſa; in quo non liceret modò cum iis ſentire. Nam hoc commento poſſunt rejicere omnia, quæ unquam aliter à Patribus ſunt explicata, quàm à Concilio Tridentino ſunt tradita & præſcripta. Sed, quid illi fingent, quo probent, illos aſſenſuros fuiſſe Concilio Tridentino; ſi noſtro loco & tempore fuiſſent: niſi hoc, quod illi fuerint eo animo, ut voluerint obedire Papæ & Concilio etiam ſine Scriptura & extra Scripturam loquenti? Sed quomodo probabunt, eos

hoc animo futuros fuiſſe? præſertim quum de principio fidei tam luculenta dederint teſtimonia? Annus jam agitur duodecimus, quum in illuſtri quadam Civitate Germaniæ rei privatæ cauſa primores illius, doctos viros, convenire neceſſe haberem. Ibi memini me aliquando in ædibus Conſulis viri docti & cordati admiſſum in conclave, in quo erat & Syndicus & illius pater. Vix intraveram, quum Conſul è menſa accepit libellum, (erat Parænеſis Barclaji ad ſectarios) quem mihi tradidit in manum; addito, En, hoc te petit. Aperui libellum, & occurrit locus Auguſtini: in quo is interpretatur verba Chriſti apud Matthæum cap. 16. *Tu es petra*, de Chriſto. in quibus nihil habetur de Petri ſucceſſore. Ea verba præbui legenda Syndico. Is legit integra. Quumque legiſſet, ſubjecit, *Auguſtini ætate ita licuit ſentire*. Acutè. Vis igitur ſcire, quid rei ſit? Auguſtinus aliud privatim ſenſit, aliud communiter: ita Chryſoſtomus, ita alii. Si quid ex illis citamus, promtum eſt dicere: Hæc non communis, ſed privata ſingulorum fuit ſententia. Quid igitur tandem communiter ſenſerunt? Quod nos, inquiunt, re accuratius per-

perpenſa, credimus. Et unde noſti, hanc fuiſſe communem ſententiam omnium, quum tamen privatim multi aliter ſentirent, quando res ſatis excuſſa non fuit? Quia nos in illorum communione ſumus. Si rurſus quæram, unde noviſti, hanc fuiſſe omnium ſententiam, in qua nos illos non ſequimur; quid dicent, niſi, quia hos doctores omnes ſecuti ſunt. Ergo, quando his noſtris hominibus placet, omnes ſenſerunt, quod patres, qui ſcripſerunt; & rurſus, quando ipſis placet, communis ſententia fuit illa, quam doctores privatim ignorarunt; etiam re necdum ſatis diſcuſſa. Ego quidem fateor, poſſe fieri, ut quædam hallucinationes in patribus reperiantur, quæ, re nondum ſatis diſcuſſa, ipſis imputari non debent, tanquam ſi pſeudoprophetæ & mendaces eſſent; nunc autem, poſtquam res diſcuſſa & veritas manifeſta eſt, cum bona conſcientia dici non poſſunt, neque tolerari poſſunt ab iis, qui jubentur contra conſcientiam illa ſua facere: ſed quis nobis perſuadebit, ea non meliùs ab illis examinata eſſe, qui ſcripturam ducẽ & veritatem fundamenti retinent, quam ab illis, qui ſibi permittunt ſine ſcriptura loqui? Exempli cauſa:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Quis nobis fidem faciet, Innocentium 3. per quem Scotus dicit Eccleſiam definiviſſe, quod in S. Euchariſtia fiat converſio panis in corpus Domini, ut *ibi* ſit corpus Domini; vel concilium Tridentinum; non obſtante, quod verba inſtitutionis longè commodius & quidem κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως *juxta conformitatẽ fidei* poſſent exponi: melius examinaſſe & cognoviſſe veritatem, quàm illos, qui, examinata Scriptura, in ea re ſequuntur Auguſtinum & alios? aut illos, qui Matth. 16. dicunt ſignificari, quod Petrus & Papæ, tanquam ſucceſſores ipſius in certa cathedra, declarentur fundamentum Eccleſiæ; ut, quod Papa, ſaltem cum Concilio, dicit, accipiendum ſit pro dicto Petri: melius rem examinaſſe, quàm qui, ut Auguſtinus (cui nihil tale in mentem venit) nihil iſtiuſmodi in eo loco invenire poſſunt? Denique quæ ratio eſt, quare credam, illos melius examinaſſe, quam memet ipſum; qui Chriſti verba & legi & ruminavi & intellexi & credidi; & non poſſum ſcire, quid alius egerit; qui mihi ſuos ſenſus dictat, nec me docet: niſi quòd video Papæ intereſſe, ut colorem qualemcunque ex Scripturis proferat ad faſcinandos homines?

2. Non

2. Non ſufficit Papali Eccleſiæ, ut ſit in communione Patrum, ſi opiniones tales reperiantur in Patribus, ad quas jam hæc filios obligat: debet etiam oſtendere, quòd illa Eccleſia & illi patres obligaverint fideles ad talia dicenda & credenda; & quidem eo argumento, quòd Scriptura ſit ambigua, muta, imperfecta nec ſufficiens regula, & quòd tenendum ſit propter ſalutem animæ, quod Concilium à Papa convocatum dictat. Imprimis oſtendant nobis, ſe tenere idem fundamentum fidei cum Patribus. nam ſine eo nulla ſana interpretatio Scripturarum dari poteſt. & hoc tenenti opiniones inutiles condonantur, ſed is, qui illud non tenet, opiniones inutiles pro fundamento ponit, eique nulla cognitio prodeſt. 3. Non poſſumus acquieſcere in eo, quod ulli homines poſt Apoſtolos dixerunt, etiamſi multi, etiamſi omnes fuerint. Nam non ſine cauſa dictum eſt: *Dixi in feſtinatione mea, omnis homo mendax eſt.* Pſal. 116. quod repetit Apoſtolus ad Rom. c. 3. Loquitur in Pſalmo fidelis, reddens cauſam ſuæ parrheſiæ, *Credidi quod locutus ſum* q. d. Fides eſt cauſa meæ parrheſiæ: & oſtendens, qua fide ſe ſuſtentaverit in

fuga

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

fuga ſua, quum ab hominibus premeretur: *Quod omnis homo mendax eſt.* hoc eſt quod nullus homo nobis à Deo nominatus eſt, qui non mentiatur, ut ei debeamus credere, extra manifeſtum verbum Dei. Et certè nullus nobis nominatus eſt, cui credam ad juſtitiam, niſi Jeſus Chriſtus. Deinde moniti ſumus, ne crederemus omni ſpiritui, ſed exploraremus, numquid ex Deo ſint. quippe quum jam tum ſpiritus Antichriſti in mundo eſſet. 1 Joh. 4. Ne putemus, tum datum fuiſſe fidelibus, in nullo errare, & nullas opiniones aut conſuetudines inutiles habere & tolerare, & paulatim invaleſcere ſinere. Si ſpiritus Antichriſti jam tum fuit in mundo, & id porrò conſecuturum erat per illius fallacias, ut crederetur deinde lex Antichriſti, & Meretrix non deſtitueretur ornamentis & prætextibus; neceſſe eſt, ut, ſecundum hoc judicium Dei, illi ſcriptores, qui erant clariſſimi futuri, multa temere dicerent, multa ignorarent; & in Eccleſia multa temere fierent. 4. Tantùm verò abeſt, ut poſſimus in temporibus Conſtantini acquieſcere, ut id tempus ſit nobis maximè ſuſpectum. Tum enim beſtia accepit thronum. Eo tempore ſurrexit Arrius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

rius, & plurimos habuit aſſenſores, plurimos reddidit dubios. An putamus, eos, qui in tanta re vacillaverint, non potuiſſe in aliis rebus præoccupari? Aut, qui coacti fuerunt quotidie cum hæreticis diſputare, potuiſſe ad omnia ſimiliter attendere? Aut ſuſpectam habere thronorum evectionem, quum per eos veritas aſſereretur contra hæreſes? Quod fuit Diabolo facile, dummodo paullatim ex fide divinæ revelationis faceret fidem auctoritatis humanæ & traditionis; ex regno Chriſti regnum hominum; ex converſatione ſimplici fidelium pompam; ex juſtitia Dei juſtitiam hominum; ex gratia meritum; ex fide opus operatum; ex regeneratione liberum arbitrium; ex cultu Dei cultum imaginum, angelorum, defunctorum hominum; ex obedientia ad verbum Dei adorationem beſtiæ; ex amore Dei ſcortationem; ex ſpe timorem mortis, vinculum ſervitutis; ex lætitia deſperationem; ex verbo gloriæ Dei blaſphemiam. 5. Suſpectum eſt nobis, quòd, qui nos ad nomen aliud, nempe conſenſum Patrum, trahunt, Apoſtolorum & Prophetarum non meminerunt. An hi non potuerunt tam clarè loqui, ut illi? An extat promiſſio

Dei

Dei de patrum ſcriptis, quæ de Scripturis? An ipſi patres auſi ſunt ſua ſcripta æquiparare Apoſtolicis? aut conſenſum hominum dicere regulam fidei? Nonne ipſe Vincentius, qui maximè conſenſus auctoritatem urgere videtur, tamen & Scripturæ perfectum *ſufficientemque ſibi Canonem* agnoſcit, & ſubſidiaria illa novitatis deſtruendæ argumenta vult adhiberi *duntaxat præcipuè in quæſtionibus, quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur?* Quare non docent nos per id inſtrumentum, quod certum eſt? Quare nobis non oſtendunt in Scripturis Concilii Tridentini dogmata & anathemata?

Duodecima *oppoſitio. Deus ſemper honoravit Eccleſiam Papalem miraculis, quæ etiam facta ſunt ad confirmationem dogmatum ab Adverſariis impugnatorum. Non quod non etiam per fraudem diaboli, ut vera miracula ſuſpecta faceret, multæ deceptiones & impoſturæ interceſſerint: ſed quod tamen vera miracula facta ſint. Quorum teſtes ſunt Ambroſius, Auguſtinus, Evagrius, Nicephorus, Bernardus & alii.* R. Non eſt certa regula: Qui quid extra Scripturam loquuntur, ſi faciant miracula, credendum iis eſt.

Imò

Imò illa eſt regula Apoſtaſiæ. Cui contraria eſt, quam & Moſes poſuit Deut. 13:1. 2. 3. Si frater tuus ediderit ſignum, atque id ſignum venerit, & is dicat, eamus, colamus deos alios (beſtiam & imaginem ejus) ne auſcultes verbis illius prophetæ. Nam Dominus Deus tuus te tentat, an diligatis Dominum Deum veſtrum ex toto corde. Dominum Deum veſtrum ſequemini, ipſum metuetis, & *præcepta ipſius cuſtodietis*, & voci ejus auſcultabitis, & ei ſervietis, & ipſi affixi eritis. Ea autem *præcepta*, quæ Iſraëli *cuſtodienda* ſunt (ut & S. Johannes in tota Epiſtola prima inculcat) quæ non cuſtodiuntur, ſi alia recipiuntur, ſunt ea, quæ ſcripta ſunt. Deut.30: 6. 8. 10. Nihil enim debuit dici, cujus Moſes teſtis non ſit. Hebr. 3: 5. Nam per fidem Abrahami ſervamur. Nec tantum Moſes prohibuit credi miraculis eorum, qui quid præter illa, quæ ipſe dixerat, dicturi erant: ſed & Chriſtus, Matth. 24: 24. *Pſeudochriſti & pſeudoprophetæ dabunt ſigna magna & portenta, ut ſeducant, ſi poſſibile, etiam electos*. Et Apocalypſis c. 13: 13. *Et* pſeudopropheta *facit ſigna magna* &c. Quid ſunt autem σημεῖα πλανώντων, *ſigna ſeducentium* niſi σημεῖα πλα-

νῶντος

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

γᾶντα *ſigna ſeducentia*; & quid illa, niſi τέρατα ψεύδους *portenta mendacii*, quibus ſcil. mendacium ſe commendat? 2. Theſſ. 2:9. Neque hæc noſtra reſponſio eſt, ſed Auguſtini, ut ſuperius oſtendimus. 2. Miracula, quæ in nomine Chriſti fiunt, ſi vera ſunt, Chriſti & Chriſtianæ Eccleſiæ ſunt; & confirmant fidem in Scripturis traditam: &, ſi fiant apud illos, qui loquuntur extra Scripturas, etiam ſic confirmant veritatem dicti Chriſti; & fidelibus ſunt luculentæ admonitiones, ut attendant doctrinæ, quam audiunt, ne ſeducantur à veritate ad mendacium. 3. Ipſe Chriſtus ſimul ea dixit & fecit, quæ de eo prædicta erant: nec ſolis miraculis voluit fidem noſtram niti. 4. Si autem revera faciunt miracula Monachi, quare non ad nos accedunt, & faciunt miracula? Quare non linguis loquuntur? Quare non prophetant de iis, quæ ventura ſunt? Quare conſilia eorum evaneſcunt? Quare ſaltem non oſtendunt nobis in verbo Dei prima & conſequentia? Eſ. 41: 22. 23. 5. Nobis autem non eſt opus miraculis, ſed fide, cum principii, tum fundamenti: quod ſatis confirmatum eſt. Cui qui non credit, is, ne ſi mortui quidem reſurgant, credet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Decima tertia *oppoſitio. Eſt apud Papalem Eccleſiam etiam perſonalis paſtorum ſucceſſio; quam & Irenæus, & Auguſtinus & Optatus oppoſuerunt hæreticis. Nullus eſt in ea Eccleſia presbyter, qui non habeat ordinationem inde ab Apoſtolis.* R. 1. Irenæus egit cum hæreticis aliud Euangelium prædicantibus, quàm quod in libris Novi Teſtamenti ſcriptum erat. Id autem, quod in libris Apoſtolorum continebatur, ab Apoſtolis prædicatum & Eccleſiis relictum eſſe, facile probabat ex eo, quòd in Eccleſiis, in quibus Apoſtoli prædicaverant, illos libros haberi, legi, & communem fidem ex iis prædicatam eſſe poſt Apoſtolorum tempora, ſatis conſtaret. Auguſtinus & Optatus rem habuerunt cum Donatiſtis, qui totam Eccleſiam ajebant defeciſſe & traditionis ream eſſe, quod Cæcilianum dicerent libros ſacros tradidiſſe. His opponebant & alias Eccleſias & Romanam, in quibus nec traditio facta erat, nec traditio approbabatur, & apud quas Cæciliani traditio ignorabatur, cum quibus ſe communicare oſtendebant, Aug. contra lit. Petil. 2: 51. 2. Regula porrò illa, quæ hîc ſubſternitur, rurſus vana eſt: In qua multitudine ſunt homi-

homines, dicti paſtores, qui ſunt ordinati per Epiſcopos presbyteris majores, eorum juriſdictio, quam prætendunt, & doctrina, quam docent, eſt vera & divini juris. Nedum ut illa ſit vera: Quemadmodum principis filius ſuccedit in hæreditatem patris, ita ſequens doctor retinet doctrinam prædeceſſoris, videlicet Apoſtoli. Quare enim id non evenit in Græcia, in multis locis, ubi Apoſtoli docuerunt? Nonne Apoſtolus dicit ad ſeniores Eccleſiæ Epheſinæ Act. 20: 30. *Etiam ex vobis ipſis ſurgent viri loquentes diſtorta?* Multò minùs illa eſt vera: Qui homines, tenentes Scripturam & fundamentum, non habent Epiſcopos, qui ordinationem referant ad Apoſtolos, ſed habent doctores & Paſtores, qui ſecundùm Scripturam eos regunt & docent, electos è medio ſui, ſunt hæretici. Niſi ſanè hæreſis eſt in nomine Chriſti convenire, & recipere omnem diſcipulum in nomine diſcipuli, aut ducere ad Chriſtum, aut loqui Chriſtum, aut inter ſe fœderari hinc ad curam & laborem, inde ad audientiam & obedientiam in nomine Domini. Velim me doceri, quam ſucceſſionem perſonalem & cathedralem poſſint oſtendere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

dere illi, qui dicunt apud Eſaiam cap. 26:13. *Iehovah Deus noſter, habuerunt nos* in poteſtate *domini præter te: TANTUMMODO IN TE commemoramus nomen tuum.* & *ſancti*, quos *vincit Beſtia*, & *populus Dei*, qui *egreditur ex Babylone?* Et *impoſitio manus* quid *aliud eſt, niſi oratio ſuper hominem?* Auguſt. de baptiſmo contra Donatiſt. l. 3: 16. Credo autem, quod iis, qui perſecutionem patiuntur, quod piè velint vivere, liceat unà orare.

Decima quarta *oppoſitio. Papalis Eccleſia nihil tenet in controverſis, quod non ab aliquibus, qui eam vitant, defendatur, excepto articulo de primatu Papæ: quem non agnoſcunt pro* ſupremo paſtore *&* judice infallibili. R. 1. Unus ille articulus diſtinguit adoratores beſtiæ & imaginis ipſius à fidelibus eam non adorantibus. Eſt autem ille articulus fœcundus. Cum illo omnia dogmata & anathemata Concilii Tridentini ſuſcipienda ſunt. Neque enim poteſt imaginem beſtiæ adorare, qui non ſuſcipiat ſignaturam ſive legem ejus. Et, qui imaginem beſtiæ non adorat, is nec ſignaturam ejus recipit, ſaltem ut legem ipſius. Hic articulus mutat verbum, quod eſt

fidei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

fidei principium, & fundamentum. 2. Repetendum eſt, quod ſæpe dixi; Potuiſſe fieri, ut, ſalva fide principii & fundamenti, & amore veritatis, ac præparatione animi ad credendum omnia, quæ ſcripta ſunt, *parvulus* aliquis *in Chriſto*, imò multi, imò plerique, errores aliquos tenerent, *neſcientes profunditates Satanæ*, quos & *adoratores beſtiæ* tenuerunt: & potuiſſe *adoratores beſtiæ* etiam loqui *verba fundamenti* aut ea patienter audire. Sed, quando *teſtes* Chriſti, qui loquuntur in Veteri & Novo Teſtamento, ita vivè ſuam efficaciam exercent in cordibus hominum, ut intelligant, non poſſe copulari hoc, quod verum eſt, cum illo, quod falſum eſt: qui tum falſum ponunt articulum fidei & verum damnant, aliud fundamentum ponunt. Qui autem verum vident, & in amore veritatis accipiunt, non poſſunt non relinquere errorem. Sed, 3. quum hoc fit, facile creditu eſt, non omnes ſtatim omnem pugnam veritatis & falſitatis, aut omnium verorũ connexionem videre, ſed magis magiſque ad *ſapientiam adultorum* proficere. Quod dum fit, dum ſe invicem *ſcrutantur*, dum unus hîc, alter illic offendit, vix fieri poteſt, ut non hîc

illic

illic aliquid audiatur, quod reſipiat vetuſtatem erroris. Ita & inter primos Chriſtianos doctiores multum ex ſua Philoſophia, à qua recentes erant, in Theologiam intulerunt; aliis, qui ex Judæis venerunt, nonnihil etiam ex Judaiſmo hæſit. Ne dicamus, eos, qui nuper ad fana deorum itaverant, non potuiſſe ſtatim omnia exuere, quibus aſſueverant. Ita accidit illis, qui ex tenebris, quales Apocalypſis deſcribit, ex ſcholaſtica Theologia, ex Ariſtotele, ex Monachorum inſipidis commentationibus oculos ad lucem Scripturæ ſuſtulerunt; ut non ſtatim viderent omnia: & unus in hunc, alius in illum errorem impingeret. quidam etiam redirent, tanquam canes, ad ἐξέραμα. Et merebatur hoc multorum ingratitudo, qui putabant, ſibi ſatis eſſe, quòd eos, qui in errore verſantur, effugiſſent, & verba, quibus via juſtitiæ indicatur, audirent, & de ἰδίῳ στηριγμῷ *ſui confirmatione* non fuerunt ſolliciti. Cæterum, quicquid hujus eſt, id pertinet ad πληθυσμὸν τῆς ἀνομίας h.e. communem neglectionem legis Dei. Quæ exinde clariſſimè perſpicitur, quòd etiamnum vix quicquam loqui poſſumus ex Scripturis, in quo non inexercitati criminentur obſcu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

obſcuritatem. Illa autem ἀνομία eſt regni Papalis. Quare non eſt dignum gloriatione, quod vix quiſquam integer ipſos evaſerit. Illis autem, qui adhuc habent aliquid ex fermento iſto, dictum eſt, *Si quis adorat, ſi quis accipit ſignaturam, etiam ipſe bibet. Exeſte ex medio illius, popule mi; ne communicetis cum peccatis & cum plagis ejus.* Apoc. 14:9. 18:4.

Decima quinta *oppoſitio. Papalis doctrina non eſt obnoxia neceſſitati ſæpe variandi in poſitionibus. contra, qui à Papatu ſe ſeparant, ſæpe coguntur mutare ſuas theſes & ſibi identidem contradicere. & agunt amarè, & prolixè, alia aliis miſcentes. Quod experientia docere poſſet.* R. Hæc tam facilè negari poſſunt, atque dici potuerunt. Examinetur doctrina, an ſibi & verbo Dei contradicat, & ad id aliquid addat, vel ab eo quid detrahat. Non exprobrabimus Pontificiis contradictiones ſcriptorum illius partis: at nemo poteſt ignorare diſſenſiones, quæ ſunt inter auctores & familias circa primarios articulos apud Papiſtas? Quot ſunt contradictiones manifeſtæ in ipſis ipſorum dogmatibus? Ibi Eccleſia priùs cognoſcitur, & quidem ut divinam auctoritatem habens ad docendum, quàm Scriptura: &

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tamen Eccleſia non cognoſcitur, niſi ex Scriptura. Ibi Scriptura eſt Canon, ſed non docet omnia. Et rurſus docet omnia, quæ ad omnes pertinent: ſed non omnia, quæ ad prælatos pertinent. Et tamen pertinet ad Eccleſiæ ſalutem, noſſe, quibus prælatis obediendum ſit. Ibi ſunt doctores ſinguli fallibiles, cuncti infallibiles. Ibi eſt Eccleſia conſiſtens in una perſona. Ibi eſt caput primarium & ſecundarium, fundamentum primarium & ſecundarium, & quidem in regno Dei. Ibi Apoſtolus auditur traditioni aſcribens vanam deceptionem, & Papa dicens ſe habere traditionem certam, quæ ſit extra Scripturam. Ibi eſt Theologia, quæ non eſt de fide. Ibi lex Dei perfecta eſt, & eſt perfectio ſupra legem. Ibi lex non verè lex. Ibi peccatum, quod non meretur mortem. Ibi peccatum, quod in regenitis deſinit eſſe peccatum. Malum, quod non eſt contra legem. Ibi ſtatus peccati, qui poſſit eſſe opus Dei creatoris. Ibi perfectio ſecundùm legem cum peccato. Ibi lex præcipiens non quid habere debeat homo, ſed quò aſpirare. Et per conſequens defectus, qui non ſit peccatum. Ibi meritum ex condigno ſervi inutilis. Ibi meritum ex pacto ſive juſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

tia ex opere in gratia. Ibi auditur Apoſtolus negans juſtificationem apud Deum ex opere, & Eccleſia ſtatuens eam ex opere operato. Ibi eſt meritũ ſupererogationis, ejus, qui non poteſt ſolvere pro acceptis, & cogitur petere remiſſionem peccati. Ibi eſt pœna damni ſine ſenſu animæ, quæ neceſſariò aut bonum aut malum ſentit. Ibi eſt perfecta ἄφεσις cum pœna temporali ignis gehennalis, & ſatisfactione propria. Ibi unus mediator juſtitiæ & ſalutis, & multi. Ibi hæreditas ex merito. Ibi damnatur propria juſtitia Judæorum, & laudatur propria juſtitia Chriſtianorum. Ibi attritio ſive vitatio peccati ex formidine pœnæ ſine contritione, quæ amorem Dei habet, juſtificat. Ibi habitus eſt juſtitia ſecundùm legem, quæ dicit, *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Ibi juſtitia habitualis ſecundũ legem liberat à pœna, quum tamen lex teneat ſub pœna, & quidẽ ſub ſervitute peccati. Ibi homines mortui in peccato faciunt opera bona ſecundùm omnes circumſtantias. Ibi eſt regeneratio & ſanctificatio non præcedens ſed ſequens bonam voluntatem. Ibi eſt influxus Dei in opus, qui pendet ab influxu voluntatis humanæ. Ibi religioſa adoratio, quæ non eſt

latria.

latria. Ibi jurare per creaturam, & invocare creaturam per ſuſpirium cordis & fiduciam poteſtatis ejus & meriti ejus & ſcientiæ ejus, non eſt idololatria. Ibi eſt cultus δουλείας συνδούλων, *ſervitutis erga conſervos.* Ibi adoratur Deus inviſibilis in imagine, qui non voluit adorari in celſis. Ibi fides in Deum eſt propoſitum obediendi hominibus, & non ſcrutandi verbum Dei vel ſaltem non intelligendi illud niſi ſecundùm præſcriptum hominum. Ibi mandatum eſt legem Dei perfectè faciendi & eam non legendi ſine venia. Ibi probantur ſpiritus ex hominibus, doctrinæ ex doctoribus. Ibi fides eſt ignorantia. Ibi ſpes non eſt exſpectatio. Ibi verum corpus eſt per modum ſpiritus, h. e. non-corporis. Ibi corpus organicum eſt ſine diſtinctione organorum. Ibi eſt ſacrificium expiatorium poſt ſacrificium perfectum. Ibi ſanguis fuſus concomitatur corpus. Ibi ſacrificium pro peccatis eſt, quod Chriſti corpus deſinit eſſe in ventriculo ſacerdotis. Ibi myſterium unitatis Chriſti & fidelium efficitur per id, quod dicunt eſſe & in infidelibus. Ibi idem myſterium unitatis perficitur per hoc, quòd corpus Chriſti ſic eſt in nobis,

ut in nobis eſſe deſinat. Ibi, qui adorandus eſt in cœlo, adoratur in terris. Et denique quid ibi, niſi meræ *commiſſiones* ſive contrarietates: quas, ut Auguſtinus ait, de unico baptiſm. contr. Petil. c. 14. ***non de Scripturis ſed de cordibus ſuis diſtinctionũ regulas proferentes***, palliant & incruſtant.

Decima ſexta *oppoſitio*. ***Papalis Eccleſia eſt in poſſeſſione nominis Eccleſiæ Catholicæ.*** R. Rurſus audimus fallacem regulam. Qui cœtus in mundo in reformationis conatu vocabitur catholica, & quidem cum additamento, Romana, Papalis, in contradiſtinctione illius partis, quæ *Reformata* vocabitur, ea eſt verè Eccleſia. Quod Auguſtino licuit ſuo tempore ex bonis cauſis dicere, id non licet nobis dicere hoc tempore, quum eædem cauſę non extant. Qui *Reformatam Eccleſiam* dicit, dicit partem Catholicæ Eccleſiæ reformationi ſtudentem: qui *Catholicam Romanam Papalem*, ſignificat partem multitudinis ejus, quæ olim vocabatur Eccleſia Catholica, reformationi obſtrepentem, & ſe Papæ ſubdentem. ***Hæc gloriatio non eſt bona.*** Eſt enim ***gloriatio de fermento.*** 1. Cor. 5: 6. Dixerat Moſes Deut. 19: 20. 21. Deum ***nomen illius***, qui operam daturus eſſet, ut ***ſatura adjungeretur***

tur ſitienti, perditurum ſub cœlo, & *eum ſeparaturum ab omnibus tribubus Iſraëlis*. Fecerunt hoc Judæi: & hi ſeparati ſunt ab omnium tribuum fidelibus: & politia eorum deleta eſt, nec nominatur amplius. An verò propterea amiſerunt nomen *Iudæorum?* vel an hoc tempore glorioſum eſt nominari *Iudæum?* Cæterum promittit Deus fidelibus *novum nomen*. Hoc ipſis ſatis eſt. Imò etiam Ezechiel c.39: 13. prædicit, *Sepulturam exercitus Gogi* ceſſuram ſepelientibus eum *in Nomen*. Non eſt igitur pudendum vocari *Reformatum*, ſi id etiam ſis: neque poſſit de te dici: *Eſt generatio juſta in oculis ſuis, & à ſordibus ſuis non eſt lota*. Certè, qui ſe Reformatos appellant, profitentur, ſe repurgandos fuiſſe: qui renuit vocari Reformatus ſive reformationis ſtudioſus, verendum eſt, ne ſtercoribus ſuis exultet.

Decima ſeptima *oppoſitio*. *Adverſarii Eccleſiæ Papalis non audent dicere, eam non eſſe Eccleſiam Chriſti, & in ejus communione non poſſe aliquem ſervari. Atqui hoc eſt ſe ſuo judicio damnare*. R. Regula hæc eſt æquè fallax atque aliæ. nempe hæc. In qua multitudine erroribus oppleta ii, qui errantes effugerunt, non au-

dent dicere nullos eſſe fideles, qui, tenentes principium & fundamentum, ſerventur quaſi per ignem, ut ſuperædificantes fundamento ſtipulam; ea eſt vera Eccleſia, magiſtra fidei, & cũ ea non eſſe eſt exitiabile: &, qui ab ea diſſentiunt, ſeipſos ſuo ore damnant. An igitur is, qui in cognitione veritatis profecit, ſi, quẽ ſperat parvulũ eſſe in Chriſto aut ſperare poteſt talem eſſe, non damnat, ſe damnat? Qui cogunt me, ſi cum ipſis eſſe velim, mendacium dicere, & temeraria facere, poſſunt putare, ſe principio h. e. verbo Dei obſequi, poſſunt fundamentum & amorem veritatis habere, & damnare verba noſtra, quòd ea non intelligunt, & poſſunt illa non intelligere, quia perperam illis explicantur à ſuis doctoribus; & poſſunt non intelligere ea, quæ ipſorum doctores tradunt. Eos ego quidem cogor monere, reprehendere, redarguere: neque poſſum illos conſolari, aut eis collætari: at non cogor de illis deſperare. Fortaſſe enim non ſunt *hoſtes*. Sed, ſi ego eligam illud dicere & facere, quod præpoſiti eorum me dicere & facere jubent, quum illud bona conſcientia facere non poſſim, & ſciam, me non poſſe illa, quæ ipſi docent, vera dicere, niſi ab-

negem

negem veritatem & eam oderim; & eligam peccatum præ juſtitia: indignum me vita æterna judicavero. Id prorſus & ex animo dico. & id cogor dicere juxta tenorem Epiſtolæ ad Hebræos cap. 10:26. & 2. Pet. 2:18. 20. 21. 22. Ideoque oro Deum ex intimo corde, ne patiatur me tentari, ut vel minimum incliner ad cupiendam cum illis ſocietatem erroris & peccati. Et omnes inter illos, qui ita affecti ſunt, ut, quum ignorent fundamentum, etiam erroribus delectentur & confidant, ſeque ad obediendum hominibus mancipent, ſine dubio nullam aliam ſpem habent, quàm adoratores Beſtiæ.

Decima octava *oppoſitio. Omnes Adverſarii Eccleſiæ Papalis conſpirant inter ſe contra Papam, etiamſi inter ſe, ſæpe uſque perſecutionem, diſſideant.* R. Credo, opponenti dolere, quod in nupero bello Germaniæ ac Belgii Proteſtantes arma junxerunt contra Papam: quaſi peccatum eſſet, ſi Principes ſubditos ſuos in libertate conſcientiarum tueantur, quivis ſuo loco, & cum vicinis in eodem periculo conſtitutis; & ſignum bonæ cauſæ & ſanctæ Eccleſiæ eſſet, multitudinem inhiantem aliorum dicionibus,

& eo fine, ut homines ibi poſitos poſſit ſub legem Capitis ſui redigere, arma expedientem habere multorum gladium obvium, ſecundum id, quod dictum eſt de Gogo Ezech. 38:21. *Vocabo gladium contra eum in omnes montes meos.* Aut quaſi malum ſignum eſſet, eos, qui una proteſtatione adverſus Papam uſi ſunt, in ea proteſtatione perſeverare, &, poſt quædam certamina de verbis quibuſdam, quæ ex ſchola corruptionis quidam videbantur attuliſſe cum perverſa ſententia, partes incipiant ex mutuis declarationibus melius de ſe invicem ſentire, & non imponere alii aliis ſententias, quas non agnoſcunt; & hæc earum ad concordiam inclinatio poſſit oſtendere, eos, à quibus expulſi ſunt & receſſerunt ob timorem peccati, eſſe verè populum Dei.

Decima nona *oppoſitio. Adverſarii Papalis Eccleſiæ quotidie variant.* R. Eccleſia Reformata adhuc præter principium, fundamentum, ſymbolum Apoſtolicum, ſymbola vetuſta, retinet confeſſionem ſuam, & Catecheſim, qua ab initio uſa eſt; & cum antiquorum etiam, qui à Papatu vexati ſunt, confeſſionibus non pugnat, certè in præcipuis. Quod verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

verò attinet quæſtiones quaſdam inter quoſdam exortas, aut declarationem ſacrarum literarum, aut modum probandi veritatem aut falſitatem impugnandi, tenet hoc, quod Apoſtolus præcepit: *Quouſque perveniſtis, uno Canone incedite; &, ſi quid aliter ſentitis, Deus vobis revelabit*; nempe per Scripturas. Quod ſi autem in hiſce aliqua varietas eſt, ut unus hoc modo loquendi utatur, ut ſignificantiore, vel hoc potiùs argumento, alius alio, aut ut quis *non nova novè* explicet ac confirmet, in eo conſpiciuntur diverſa chariſmata; quæ in poſterioribus in aliqua parte poſſunt eſſe majora, quàm in præcedentibus, in alia rurſus parte minora. Opportunum hîc eſt ea repræſentare, quæ Vincentius de hac novitate. O *Timothee, ô ſacerdos, ô tractator, ô doctor, ſi te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiritalis tabernaculi Beſeleel, precioſas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente inluſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur: eadem*

 dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

dem tamen, quæ didiciſti, doce, ut, quum dicas novè, non dicas nova. Et quæ non pauca ſequuntur in commonitorio 1. ad verba Pauli 1. Tim. 6: 20. *Depoſitum cuſtodi.* Hæc novitas non turbat communem fidem: ſed oſtendit, Deum *ſermonem ſapientiæ* non omnibus omni tempore æqualiter impertiri. Neque tamen negamus, videri aliquando diſceptationes à fratribus agitari amarius & importunius. Humani enim affectus ſe talibus facile miſcent: præſertim, ubi abundat ἀνομία. Tamen non debet αὐθάδεια vocari, ſi quis non velit καταβραβεύεσθαι καὶ δογματίζεσθαι κατὰ τὰς διδασκαλίας καὶ ἐντάλματα τῶν ἀνθρώπων. Credo autem, opponentem hîc maximè innuere diſſidia, quæ in Eccleſia orta ſunt ſuper regimine illius. Sed & hîc una omnium hypotheſis eſt. 1. Deum nunc, poſt *Apoſtolos, Euangeliſtas*, extraordinarios *prophetas*, dediſſe Eccleſiæ *Paſtores & doctores, ad concinnationem ſanctorum.* Epheſ. 4: 11. 12. 2. His non datam eſſe à Chriſto poteſtatem ad dominandum & juriſdictionem quaſi politicam exercendum. Matth. 20: 25. 26. 27. 1. Pet. 5: 1. 2. 3. 3. Magiſtratus habere etiam curam Eccleſiæ & ordinis in ea. 4. Si qua poteſtas

quibuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

quibuſdam paſtoribus & doctoribus ſit data à populis & principibus vel etiam Eccleſiis ipſis particularibus inſtar poteſtatis, quam habent patres in liberos, ut ſint velut *pædagogi in Chriſto* 1. Cor. 4: 15. (quæ poteſtas poteſt videri oportuna propter parvulos in Chriſto) eam diſtinguendam eſſe ab ea, quæ Chriſti mandato & jure divino nititur. 5. Si quis ea abutatur, (nempe ſi *ſervos ſuos faciat* diſcipulos Chriſti, ſi *devoret*, ſi *capiat*; ſi *ſe efferat*, ſi *in faciem cædat*, 2. Cor. 11: 20. imprimis ſi fiat dux ad malum & impediat bonum) poſſe eam auferri aut minui. Hæc ſi Opponens in timore Dei prudenter conſideraret, facile videret, in variatione, quæ ſpeciem magnam habet, etiamſi videantur quaſi *ſidera de cœlo cadere* (Matth. 24: 29. Apocal. 6: 13. Eſ. 24: 21. 22. 23.) tamen non eo neceſſario mutari commune propoſitum obediendi Chriſto, & in nomine Chriſti monentibus & redarguentibus, tum quibuſvis, tum maximè ſenioribus ſuis Epiſcopis h.e. curatoribus, ducibus, præſtitibus. Verum enim verò non eſt quod Eccleſia Papalis valde glorietur de concordia: inter cujus doctores nondum omninò convenit, quæ ſit poteſtas Papæ

aut

aut infallibilitas, à quo jure ſit Epiſcoporum prærogativa, & ſi quæ ſimilia ſunt. Nam controverſias, quæ inter doctores Scholaſticos ſunt, non facile eſt enumerare.

Vigeſima *oppoſitio. Papali Eccleſiæ conveniunt tantummodò prophetiæ illæ magnificæ Veteris Teſtamenti de Eccleſiæ Novi Teſtamenti amplitudine & ſplendore. Adverſariæ verò Eccleſiæ eas ſibi applicare non poſſunt: neque poſſunt patres vocare niſi eos, à quibus tamen diſſentiunt, aut qui fortaſſe nuper vix ante ſeculum in angulo aliquo fuerunt, per quorum miniſterium nullus concurſus populorum excitatus eſt. Summum fortaſſe, ſe probaret aliqua partem Eccleſiæ Chriſtianæ magis ab abuſibus putativis repurgatam. Aut componeret Eccleſiam ex orthodoxis & heterodoxis. Id non quadrat prophetis. Et Chriſtus heterodoxos, hæreticos, ſchiſmaticos non habet pro Eccleſia, ſed inter ethnicos & apertos peccatores. Ergo Eccleſia Papalis (quæ ſe Catholicam appellat) magis prophetiis eſt apta. Niſi velis dicere, eas necdum impletas eſſe. Quod quidam putantes à Chriſtianiſmo defecerunt.* Reſp. Hoc argumentum eſt admodum latum & longum. Vellem nobis Opponens

ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

aliquas prophetias oſtendiſſet, quæ tam bene ſedeant Papali Eccleſiæ, quas oporteat jam impletas eſſe, in quibus ea Eccleſia habeat tam bonum teſtimonium. Poteramus nos iis eſſe contenti, quæ ſupra jam de Babylone diximus. Sed, ne videamur illiberales, admetiar etiam hîc ἐπίμετρον. Dico igitur, in multitudine illa, quæ, diſtincta ab hæreticis apertis, vocata eſt Catholica Eccleſia, in Orientis & Occidentis regionibus iis, quæ ſub imperio Romano fuerunt, fuiſſe veræ Eccleſiæ illam partem, quæ in dicione Romani Imperii fuit. Et ex ea egreſſos eſſe Papiſtas, legem erroris ferentes & perſecutores eorum, qui eam non receperunt. Et hanc eſſe ἀποστασίαν *defectionem*, quæ à S. Paulo prædicta eſt. Regno Chriſti autem nihil in Veteri & Novo Teſtamento prædictum eſſe, quod non ordine impletum ſit uſque ad illas res, quas oculis noſtris conſpicimus: ſed, quæ poſt hos dies fieri debent, ea necdum impleta eſſe, ſed certò impletum iri, quia jam antecedentia impleta ſunt. Qamobrem poſtulare, ut ea facta ſint, quorum tempus nondum venit, eſt facere ſimiliter ac Judæi faciunt, qui negant, Jeſum eſſe Chriſtum, quia non-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

dum confecta eſt tota illa pax, quæ prænunciatur Eſ. 2:4. non animadvertentes, eam ſuos gradus, articulos & progreſſus habere. Et quid nocet, vel ex illo loco breviter oſtendere ſummam eorum, quæ hactenus in Eccleſia fieri debuerunt ſub regno Chriſti? Imprimis dicitur v. 2. *Affluent ad montem domus Domini omnes gentes.* nempe, ut dictum eſt Apoc. 15:4. *Omnes gentes venient & adorabunt coram te.* ex Pſal. 86:9. Sed non erat futurum, ut omninò omnes gentes affluerent, antequam ea, quæ ſequuntur, mandarentur effectui. Nam Paulus ultimo ferè ſuæ prædicationis tempore ſic ſcripſit Hebr. 2:8. *Nunc autem nondum videmus ipſi omnia ſubjecta:* & Corinthiis ſe jam regnare credentibus denunciat magnas anguſtias. Vide 1. Cor. 4:8. 7:29. Id quod etiam experientia comprobavit. Et ejus rei teſtis eſt hic textus. Nam paulò poſt dicit: *Redargutionem faciet gentibus; ut cudant gladios ſuos in falces.* Si enim priùs omnes gentes affluunt, jam non deinde opus eſt, ut redargutionem faciat gentibus, ut gladios, quibus perſecuti erant Eccleſiam, cudant in falces, ad exercendam vineæ Dei culturam. Quare illa verba, *Affluent omnes gentes,* ſum-

ſummam rei dicunt; quæ deinceps per gradus explicatur: ut vel ex primo gradu apparebit. *Ibunt populi multi & dicent: Age, aſcendamus ad montem Domini ad domum Dei Iacobi, ut doceat nos de viis ſuis, & ambulemus in itineribus ejus.* Non priùs confluent omnes gentes, quàm gentes ſe mutua cohortatione excitaverint. *Nam ex Tſijone prodibit lex & verbum Domini ex Hieruſalem.* Ergo hic ordo eſt. Prodibit lex & verbum ex Tſijone. Hæc eſt prædicatio Euangelii in gentibus per Apoſtolos: imprimis Paulum. Erunt in multis populis, qui ſe mutuò cohortabuntur, ut accedant ad Chriſtum & legem ejus audiant, & communicent cum ſanctis Tſijonis. *Et* tum, quum hoc cæperit fieri, *judicabit inter gentes.* Simul credetur Euangelium in mundo, & judicium fieri incipiet. Primum judicium eſt id, quod Deus egit in Judæis. *Et redargutionem faciet populis multis* per Euangelium & potentiam ſpiritus ſancti & patientiam ſanctorum, & multas calamitates, ac fortem manum, *ut cudant gladios ſuos in ligones & haſtas ſuas in falces*, h. e. ut à perſequenda Eccleſia ſe conferant ad ejus culturam. In hac parte ponenda eſt illa *pax*, de qua Michææ

Michææ cap. 5: 4. *Et erit hæc pax: Aſſyrius quum veniet in terram noſtram & quum calcabit palatia noſtra, excitabimus contra illum ſeptem paſtores & octo unctos hominum: & depaſcentur terram Aſſur gladio & terram Nimrod in oſtiis ſuis*, &c. Poſtquam enim gentes cuderunt gladios ſuos, quos contra Eccleſiam ſtrinxerant, in ligones, deinceps gladios ſuos ſtringere debuerunt contra hoſtes Eccleſiæ illam invadentes in terra ſua. *Pax* hæc, quia oppugnatores Eccleſiæ fiunt filii ejus, aut ſaltem defenſores ejus. At *bellum* nihilominus geritur cum aliquo populo, cui ænigmaticè nomen *Aſſyriorum* imponitur. Sunt autem Sarraceni, quorum in Oriente lata dominatio fuit, qui & Aſſyriam tenuerunt. Sequitur: *Non tollet gens contra gentem gladium.* Temerarium eſſet, dicere, hîc ſignificari, quod inter gentes nulla bella futura fuerint hoc articulo temporis. Si tamen hoc futurum eſt, certè necdum impletum eſt. Sed, quemadmodum membrum illud, *cudent ſuos gladios in ligones*, non importat ceſſationem bellorum, ſed omiſſionem alicujus belli, nimirum contra Eccleſiam, ut cohabirent

tent perſecutores cum Eccleſia in pace; ita, quod in hoc membro dicitur, non ſignificat negationem omnis belli, ſed interruptionem alicujus belli; quod inter duas gentes inchoatum erat. Hoc eſt bellum inter gentes, quæ olim una in pace cohabitaverant; illas nimirum, quæ volunt apud ſe regnare Beſtiam, & illas, quæ nolunt eam apud ſe regnare. De qua pace eſt apud Eſaiam cap. 11: 9. *Non lædent, non corrumpent in toto monte ſancto meo: quum impleta fuerit terra cognitione Dei ut aquis ſolum maris.* & cap. 57: 19. *Pax, pax longinquo & propinquo.* Et hæc, ſine dubio, eſt pax religionis, quæ ad tempus fuit. Sequitur. *Et non diſcent amplius bellum.* Quod ſecundum præcedentia intelligendum eſt de bello religionis cauſa gerendo. Doctor belli nullus erit. De hoc gradu pacis loquitur Eſ. 11: 13. 14. *Et recedet æmulatio Ephraimi, & oppugnatores Iudæ exſcindentur. Ephraim non invidebit Iudæ, & Iuda non oppugnabit Ephraimum; & volabunt in humerum Palæſtinorum verſus Mare, una deprædabuntur filios Orientis. Edom & Moab erit porrectio manus ipſorum, & filii Ammon obedientia ipſorum,* &c. Quæ his ſubjungit

git Michæas cap. 4. etiam conſiderari poſſunt. Liquet autem ex his, ſerò demum eò rem proceſſuram fuiſſe, ut, Deo quaſi de cœlo interpellante (Habac. 2:20.) terra conquieſcat, & bella religionis cauſa geſta conticeſcant. Nam non licet nobis ultra id genus bellorum expoſitionem extendere. Nemo autem, puto, tam ſtupidus eſt, ut hæc jam omnia debere eſſe impleta contendat. In iis autem, quæ Eſaias compendio prænuntiat, hæc ordine gerenda conſpiciunrur. 1 *Verbum Dei prodit ex Tſijone*, h.e. Euangelium, miſſo ex cœlis ſpiritu ſancto, prædicatur in mundo. 2. Gentium quidam auſcultant & ſe mutuo cohortari incipiunt, ad quærendum Deum. 3. Interim Deus judicia agere incipit. Quæ ſanè non ſunt unius temporis. Et eſt etiam judicium miſſæ efficaciæ ſeductionis ad credendum mendacio ſuo tempore agnoſcendum. 4. Demonſtratio veritatis & potentiæ Dei agitur in mediis gladiis. 5. Ea proficit eò uſque, ut gentes perſequentes Euangelium potentiam, qua nocuerant, conferant ad Eccleſiæ bonum, & patiantur Euangelium prædicari. 6. Ex commixtione gentium & ſanctorum tandem oritur diviſio,

ſio, ut gens à gente propter religionem diſſideat. Quæ diſſidia procedunt eò uſque, ut corripiantur gladii. 7. Deus tamen impedit conatum & votum ſine dubio illorum, qui cupiunt bello opprimere veritatem, ne pro tempore educant exercitus ſuos & gladium inferant. 8. Tandem comprimit oſores pacis, & bella propter religionem coercet: ut ſedeat quiſque ſub ficu ſua & vite ſua, nec ſit, qui turbet. Et horum pleriſque jam veritas hiſtoriæ ſuffragatur. Accedat Apocalypſis cap.20. ubi ſunt illi characteres piorum ſuo ordine. 1. πεπελεκισμένοι *ſecuri percuſſi propter teſtimonium Ieſu & ſermonem Dei.* 2. *Qui non adorarunt beſtiam & imaginem ejus: neque receperunt ſignaturam in frontem & in manum ſuam.* Si igitur *ſecuri percuſſos* ſequuntur, qui *beſtiam non adorarunt* (qui ſine dubio multi fuerunt) & *beſtiam adorarunt omnes incolæ terræ*; certè illa ſpecioſa & ſplendida multitudo, quæ complexa eſt frumenta & zizania, hactenus quidem ad gloriam Eccleſiæ fuit, quòd *ipſi mentiti ſunt hoſtes Dei*, & quod hic *fumus à gloria Dei & potentia ejus* extitit, Apocal.15: 18. ſed propterea eadem multitudo non poteſt, quando pſeudopro-

phetæ

phetæ credit, & facit imaginem beſtiæ, & ejus legem ſuſcipit, & non ſuſcipientes abigit & occidit, gloriari, ſibi competere elogia Eccleſiæ, quia multi ſunt. Multi enim ſunt etiam, qui ſequuntur Gog & Magog, multi exercitus, qui prodibunt, ſolutis quatuor angelis, qui ad Euphratem ligati erant. Apoc. 9: 16. Attamen vellem, Opponens nobis dixiſſet, quænam ſint illa magnifica promiſſa, quæ videantur Papali Eccleſiæ, poſt diviſionem, convenire. Nam certè illud, quod dicitur Eſ. 60: 21. *Populus tuus, omnes ſunt juſti*; non, credo, dicent in ſua parte jam compleri.

MANTISSA.

Quæſtiones circa fundamentum ſalutis motæ.

I. *Quis eſt articulorum fundamentalium numerus? Hæc quæſtio neceſſaria eſt, tum ad decidendas controverſias, tum ad convertendos & convincendos Turcas alioſque profanos. Et Reformatis incumbere videtur onus illum numerum aſſignandi: tum quia ſacram ſcripturam*

in

in fundamentalibus perſpicuam eſſe aſſerunt; tum quia cum Lutheranis ſyncretiſmum iniri poſſe ajunt, quia in fundamentalibus conveniunt. Reſp.1. Eſſe *fundamentum*, & quodnam illud ſit, conſtat ex ſacris literis. Vide 1.Cor.1:18. ὁ λόγος τοῦ σταυροῦ. verſ. 30:31. *Chriſtus Ieſus factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia & ſanctificatio & redemtio; ut, quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* cap. 2:2. *Non judicavi* vel decrevi *ſcire quippiam in vobis niſi Ieſum Chriſtum; & hunc crucifixum.* cap. 3:11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter illud, quod poſitum eſt: quod eſt Ieſus Chriſtus.* c.12:3. *Nemo in ſpiritu Dei loquẽs dicit anathema Ieſum.* Ergo, qui Ieſum dicit anathema, non loquitur in Spiritu ſancto. Ergo 1. omne dictum, quod in poteſtate ſua eſt deſtructio ejus veritatis, quòd Jeſus ſit Chriſtus, non poteſt à Spiritu ſancto eſſe dictatum; à quocunque illud dicatur, ſive is amet Chriſtum, ſive oderit. 2. Is, qui Jeſum Chriſtum & Dominum agnoſcit & diligit, atque ita ſpiritum Chriſti habet, non anathematizat ullam veritatem, quam videt apertè cum illa veritate conjungi & connecti; neque ponit pro fundamento cum anathemate diſſen-

diſſentientium, quod non videt in fundamento contineri. Nam fundamentum ignoraret, & præterea temere aliud fundamentum poneret, ſive aliud Euangelium prædicaret. Gal. 1: 6. *Et nemo poteſt dicere Dominum Ieſum*, in veritate, *niſi in ſpiritu ſancto*. Ergo 1. omne dictum, quod congruit huic veritati, *Ieſus eſt Dominus*, eſt à Spiritu ſancto revelante. Mendacium enim ex veritate non eſt. Quod ex vero eſt, verum eſt. 2. omnis nominans *Ieſum Dominum*, & ea dicens, quæ cum hac veritate congruunt, nec anathematizans ullam partem veritatis, neque fundamentũ ponens præter fundamentum, ſive *regulam non prætergrediens* (hoc enim jam eſt Jeſum non dicere Dominum) pro fratre agnoſcendus eſt, tanquam loquens in Spiritu ſancto. Qui autem *Ieſum Dominum dicit*, is 1. *tenet ſermonem Dei*, in quo eſt teſtimonium ipſius de Filio. 2. cognoſcit, quod Pater de Filio teſtatus eſt; vitam datam eſſe, eamque eſſe in Filio, & eſſe eorum, qui habent Filium, nempe credentium in eum. 3. cupit fieri ſapiens per verbum Dei, & eſſe dignus Deo redimente, ſanctificante, juſtificante, glorificante. 4. de Chriſto credit ea, ſine quibus Dominus

eſſe

eſſe non poteſt, & per quæ Dominus eſt; ut æternam ſponſionem, creationem, adventum in carne, oblationem ſui, reſurrectionem ex mortuis, aſcenſionem in cœlum, effuſionem Spiritus ſancti, prædicationem Euangelii de juſtitia & regno Dei, ac libertate Novi Teſtamenti; itemque beneficia, regenerationem, juſtificationem, conſervationem juſtificatorum, Eccleſiam, communionem ſanctorum, reſurrectionem mortuorum, judicium, vitam æternam à *Domino* donandam exſpectantibus ipſum. 1 Ioh. 2 22. 23. *Quis eſt ille mendax, niſi qui negat, quòd Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus ille, qui negat patrem & filium. Quicunque filium negat, nec patrem habet.* cap. 4: 2. 3. *Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum, qui in carne venit, ex Deo eſt. & omnis ſpiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum, ex Deo non eſt.* cap. 5: 10. 11. 12. 13. Apoc. 19: 10. *Teſtimonium Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ.* & 20: 4. *qui ſecuri percuſſi ſunt propter teſtimonium Ieſu & propter ſermonem Dei.* Hoc principium eſt, illud fundamentum. Et talia paſſim reperiuntur. Et ex ipſa ſtipulatione fœderali id cognoſcitur. ut Rom. 10: 9. 10. *Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum,*

&

& credideris in corde tuo, quod Deus illum excitavit ex mortuis, ſalvaberis. Corde enim creditur ad juſtitiam, & ore fit confeſſio ad ſalutem. Alibi ἡ χρηστότης ſive fides *gratiæ* fundamentum ponitur. Rom. 11: 22. alibi δικαιοσύνη πίστεως, *juſtitia fidei.* Rom. 1:17. 9:30.31. 10:3.4. Hebr. 5:13. Igitur ἐπίγνωσις τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *cognitio Domini & Salvatoris Ieſu Chriſti*, & ἐπίγνωσις ὁδοῦ δικαιοσύνης *cognitio vitæ ſalutis* alternant. 2 Pet. 1:20.21.

2. Nemo igitur Chriſtianus haberi poteſt, qui ignorat *revelationem* & inſtrumentum revelationis (ita enim non habebit, cui credat) & *fundamentum*. Ita enim non habebit, quod credat.

3. Dicendus autem eſt etiam ignorare fundamentum, qui, etiamſi *verba fundamenti* dicat aut permittat dici, tamen ſenſum *verborum fundamenti* penitus ignorat. v. g. quid ſignificet *Chriſtum eſſe*, quid ſit *juſtitia fidei*, quæ *juſtitiæ operum* opponitur; quid ſit neceſſarium judicare de Chriſto ei, qui dicitur *credere in Chriſtum*: in ſpecie, quid reipſa ſit *eſurire ac ſitire juſtitiam*. Dico, *reipſa*. Nam ignorantia terminorum non damnat, ſed carentia rei ipſius. Nam, qui non *eſurit ac ſitit juſtitiam*, is ſine dubio fidelis non eſt:

eſt: qui autem eſurit, fidelis eſt. Ita Chriſtus dicit Matth. 6: 33. *Quærite ante omnia regnum Dei & juſtitiam ejus.*

4. Quum omnis veritas in *fundamento* contineatur, & ei congruat (alioqui enim *fundamentum* non eſſet *fundamentum*) neceſſe eſt, eum, qui fundamentum credit & diligit, paratum eſſe ad diſcenda & quærenda illa, quæ in fundamento continentur ſive tanquam præſuppoſita, ſive tanquam ex eo fluentia. Quicquid enim ex vero eſt, verum eſt: quia *omne mendacium ex veritate non eſt.* 1 Ioh. 2: 21. Igitur definiri non debet, quis ſit numerus earum veritatum, quæ in fundamento continentur. Deus enim ſibi reſervavit, qua menſura *ſapientiam*, quæ eſt in myſterio, illuſtrare & Eccleſiæ communicare velit.

5. Quicunque *ſermonem Dei* profitetur, h. e. Scripturam, tanquam principium, & *teſtimonium Ieſu*, tanquam fundamentum; ita ut ſperare poſſimus, eum non penitus ignorare ſenſum verborum fundamenti, & juſtitiam Dei: neque addit aliud nomen, aliam auctoritatem, aut aliud fundamentum ponit: eum tenemur pro fratre recipere; ſaltem ut *puerum in Chriſto.* 1 Cor. 3: 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

6. Poſſunt tamen *pueri in Chriſto* in multis ignorantiam habere & errores: quos neceſſe eſt redarguere; ſed non propter eos ſtatim damnandi ſunt, qui eos habent, velut nō fratres: donec appareat, errantes veritatem *juſtitiæ Dei* ignorare, & mendacia pro *fundamento* habere; & non, quod opinantur, velle ſuperinædificare fundamento. quales non poſſunt haberi pro pueris in Chriſto. Ita Corinthii erant tanquam *parvuli in Chriſto*, qui dicebant, *Ego ſum Pauli, Apollo, Cephæ.* quod tamen cum fundamento non congruebat.

7. Qui directè contradicit alicui veritati, quæ in fundamento (ſaltem non remotè) continetur, in ἀντιθέσει veritatis & mendacii, ut mendacium defendat, & veritatem abneget; non poteſt haberi pro eo, qui fundamentum cognoverit & crediderit. Maxime, ſi etiam alium in ſuas leges adigere conetur, & non velit cum eo communicare, niſi errorem ſuum approbet. Nam nullus error in ullius gratiam approbari debet. Quare, ſi homines non tantùm errent, ſed etiam errorem veritati præferant, atque ita teſtentur, ſe fundamentum non tenere, nec caput, nec fidem habere; imò ſi errorem jubeant credi;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

credi; imò ſi veritatem etiam anathematizent: ἀποκόπτονται, *ſeipſos abſcindunt.* Quum autem id multis modis fieri poſſit, &, quoties fit, per ſe & ex comparatione Scripturæ & fundamenti evidens ſit, non eſt neceſſarium numerari omnes illos caſus, in quibus poteſt fieri, ut quis mereatur vel excludi vel vitari. Quæ tamen vel excluſio vel vitatio, quanquam impediat τὸ συμμίγνυσθαι, *commiſceri*, ſive conjunctionem fraternam cum lætitia: tamen non minuit, ſed potius accendit, charitatem, quæ quærit ſalutem omnium.

8. Reformati, quando dicunt, *Scripturam eſſe perſpicuam in fundamentalibus,* non hoc ſignificant, fundamentum talibus verbis contineri, quorum vim nemo ignorare poſſit; aut neminem de fundamento facere controverſiam; neque adeò in ſe ſuſcipiunt definitionem & enumerationem fundamentalium, ſive omnium veritatum, quę in fundamento continentur, aut falſitatum, quæ cum illo pugnare poſſunt: ſed hoc intelligunt, verba, quibus fundamentum continetur, in Scriptura perſpicuè poſita eſſe, cum teſtimonio, quòd illa fundamentum contineant: & ex ſcripturis ad conſcientiam demonſtrari poſſe, quæ ſit fœderis gratiæ ſtipula-

 tio,

tio, & quod teſtimonium Dei, cui credens juſtus eſt; & in his non eſſe illam obſcuritatem, quæ requirat novum prophetã, qui non demonſtrans ex Scripturis dicat, quid credendum ſit ad juſtitiam: neque talem, qualis eſt in quibuſdam prophetiis de futuris rebus, quæ uſque ad tempus finis debent manere concluſæ. porrò ex iiſdem cognoſci poſſe, ſi quis veritati contradicat, aut aliam doctrinam afferat & falſum fundamentum ponat.

9. Reformati Lutheranos monere non deſinunt, ut deſiſtant eos, qui idem principium & eandem juſtitiam credunt, gravare criminationibus falſis; atque ſuas locutiones, quæ ſcriptæ non ſunt, non proponant neceſſariò credendas: ſperantes, ſi id impetrent, non multum cauſæ ſuperfuturum, quare non uno humero Deo ſerviant. Nam, ſi illi quid dictent non ſcriptum, neque ex fundamento demonſtratũ, & illud non loquentes damnent, quicquid illud ſit, planum eſt, convenire inter Reformatos & Lutheranos non poſſe. Itaque ne hanc quidem ob cauſam tenentur Reformati exhibere numerum omnium, quæ poſſunt in fundamentum & veritates in eo comprehenſas impingere.

2. *Quinam articuli non fundamentales*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

les cum fundamento conſiſtere queunt, qui non? Hæc quæſtio neceſſaria eſt, ut ſchiſmata vitentur. Nam in confeſſo eſt, ob non fundamentalia non debere fieri ſchiſma.
Reſp. Quicquid in ſacris literis eſt, eſt vel hiſtoria traditionis Verbi Dei, & fœderis hominibus propoſiti; vel hiſtoria operum Dei; vel hiſtoria rerum geſtarum ab hominibus; vel hiſtoria manifeſtationis Chriſti; vel prophetiæ; vel ipſum verbum Teſtamenti ac fœderis; vel explicatio ejus, quod bonum & ſecundùm imaginem Dei eſt, vel ei contrarium. Omnia autem hæc propter fundamentum ſive fidem in Chriſtum, quæ per charitatem operetur, ſcripta ſunt. Habent enim omnia utilitatem ad fidem & charitatem. In his verò multiplex poteſt eſſe ignorantia in ipſis etiam fidelibus. quippe in illis quotidianus datur profectus. Poteſt igitur ignorantia eorum, quæ propter fidem & charitatem ſcripta ſunt, ſtare cum fide & charitate: ſed non voluntas pertinax ignorandi. Nam fides & charitas habet præparationem diſcendi & parendi. Sed neglectus diſcendi arguitur quidem & ſanatur ipſa inſtantia docendi: (incredibile verò eſt, eum, qui Chriſtianus videri vult, non velle audire unquam ullum, qui

cum verbo Chriſti venit) non verò poteſt eſſe occaſio ſchiſmatis. Non poteſt autem in eundem hominem cadere fides Scripturæ & abnegatio totius Scripturæ, ſive aperta, ſive indirecta: nempe ut idem dicat, ſe credere Scripturæ, & tamen, Scripturam non eſſe ſufficientem ad docendum ea, quæ credenda & facienda ſunt; & ipſam Scripturam non poſſe credi divinam niſi propter auctoritatem unius aut multorum hominum: & id, quod unus aliquis vel multi homines dicunt, dicendum eſſe. Hoc non poteſt ſtare cum fide Scripturæ tanquam principii, & eſt mutare principium, & mutare fidem verbi Dei in obedientiam hominum; quam Scriptura appellat *adorationem Beſtiæ & imaginis ejus*. Poteſt in fidelem cadere dubitatio de aliquo libro non primario Scripturæ; ſi tamen hoc non fiat ex odio veritatis & amore mendacii. Non poteſt in eodem homine eſſe fides in Chriſtum & ignoratio perſonæ ejus (Nam fides in non Deum eſſet idololatria) & beneficii redemtionis ac juſtitiæ, quæ eſt in ipſo. Nam falſum crederet, & Chriſto non ageret gratias, neque in Deo gloriaretur. Sed poteſt in fideli eſſe defectus ſapientiæ, ut partes veritatis inter ſe non valeat dextrè
conjun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

conjungere; neque ſciat omnia, quæ præſupponere neceſſe eſt, ad fundamenti & fœderis veritatem; quæque ex fundamento fluunt. Rurſus non poteſt in fideli eſſe error directè & apertè contrarius fidei in Chriſtum, h. e. de perſona Chriſti & de dono juſtitiæ, quæ eſt in ipſo: (Nam ſi poſſet talis error directè & apertè contrarius fidei in fideli eſſe, poſſet eandem veritatem ſimul & affirmare & palam negare) at tamen ubi poteſt eſſe ignorantia, & obnubilatio intellectus, ut non videat conſequentiam; ibi poteſt eſſe error ſive opinio inutilis, tanquam lignum aut ſtipula inædificata fundamento. Interim, quia nullum mendacium ex veritate eſt, atque adeò, quicquid ex vero eſt, verum eſt, non poteſt à fideli mendacium poni pro fundamento, vel abnegari pertinaciter & cum anathematiſmo id, quod ex Scriptura demonſtratur & ex fundamento clarè conſequitur: certè nemo fidelis, & non ignorans fundamentum, poteſt dicere, non obligari nos ad credendum ea, quæ ex Scriptura demonſtrantur & ex fundamento ſequuntur. Hoc enim eſt abnegare, quòd fundamentum ſit fundamentum, & in eo omnia ædificanda ſint, quæ credimus, ut fiamus

 ſapien-

ſapientes in Domino; & principium negare eſſe principium. Schiſma autem facit, non qui ſimpliciter aliquid ignorat & in aliquo errat, ſed qui aliud fundamentum ponit & aliud principium introducit. Rom. 16: 17. Verum igitur non eſt, quòd is non faciat ſchiſma, qui pro fundamento ponit errorem eum, qui etiam in fideli reperiri aliquando (nondum facta manifeſtatione pugnæ erroris & ejus, quod in fundamento eſt) potuit.

3. *Quis de neceſſitate conſequentiarum, per quas quæſtiones fidei ex S. Literis probantur, judicare debet?* Reſp. Primò omnis, qui credere debet; ſecundò, qui debet ſeductionem & deceptionem cavere; tertiò, qui debet docere & redarguere; quartò, qui debet aliquem inobedientem pro ethnico & publicano habere, aut ut hæreticum vitare. Nam nemo poteſt credere, niſi judicet, hoc, quod credit, eſſe verum, Deo dignum, à Deo revelatum, fundamento ſuperinædificandum. Nemo poteſt falſitatem reijcere, ſaltem per timorem, niſi judicet, hoc, quod audit, ſibi non eſſe demonſtratum; adeò ut temere & non in fide id recepturus ſit. Qui autem docere & judicare debet, debet in fide docere & judicare.

4. *Quis debet eſſe controverſiarum judex? S. Scriptura non poteſt, quia de ejus ſenſu controvertitur. Et neutra pars ſibi auctoritatem illam vendicare poteſt, ut lites componat.* Reſp. Idem hîc dicendum, quod ad quæſtionem tertiam. Omnis credens judicat: ſed ut credens, ut obediens; judicium ſuum conformans judicio Domini. Principalis autem judex eſt Spiritus ſanctus. Et ideò *Scriptura eſt judex*, quia fides, quæ recipit veritatem, nullam aliam novit vel audit ſententiam judicis, niſi demonſtrationem ex Scriptura: & nihil aliud debet in Eccleſia audiri, in rebus fidei, niſi revelatio Dei. De hæreditate nemo judicat niſi Teſtator per verba Teſtamenti: neque de rebus Dei alius quàm Spiritus ſanctus per verba ſua. Non opus eſt Eccleſiæ homine *judice, qui auctoritatem* habeat, quia ibi non valet principatus humanus, ſed verbum Dei & fides illius. Ita fit, ut credentes Veritati à credentibus mendacio dividantur. Et diviſio quidem eſt manifeſta apud mundũ, juſtitia cauſæ cũ bona conſcientia apud ſolos credentes. *Exibit judicium ad juſtitiam, & ſequentur id omnes recti corde.* Pſal. 94: 15. Eccleſia, Chriſtus, veritas non niſi fide cognoſcitur.

5. *Annon conveniens eſt hoc fine Concilium*

lium Oecumenicum congregari ex utraque parte diſſidente, quod ex auctoritate Eccleſiæ deciſionem præſtet? Nam oportet controverſias decidi, ſi debeat eſſe conſenſus. At hoc à Doctoribus ſingularibus fieri vix poteſt, quia media interpretandi legitima utrinque ſæpius adhibere ſtudent & in ſenſu inveſtigato non conveniunt. Reſp. Si ex utraque parte convocarentur homines docti & controverſiarum periti, ii poſſent hoc agere, ut appareat, in qua re ſit diſſenſio, in qua non; & ut eò melius argumenta, quæ utrinque ſunt, in medium proferantur, &, comparatis illis inter ſe, qua in parte ſcrupulus reſiduus ſit, innoteſcat. Sed nec Eccleſia Reformata, neque ullus fidelis poteſt ſe ſubmittere in auctoritatem ullorum hominum, ut ſpondeat, ſe ſecuturum, quod ab ulla multitudine fuerit deciſum: quia fides non poteſt ſubjici niſi Deo. Si etiam quis ipſam veritatem eligat dicere propter nomen & auctoritatem humanam, illa voluntas & illud judicium non merebitur nomen *fidei*. Hoc eſt enim id ipſum, quod facit, ut multitudo gentium nomen Chriſti præ ſe ferentium ſit *Beſtia* & non *Eccleſia*. Non eſt neceſſe, ut controverſiæ decidantur judicio humano, propterea ut

fideles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

fideles inter ſe conſentiant. Vnus Paulus congregavit Eccleſiam ex gentibus non per auctoritatem, ſed per ***manifeſtationem veritatis ad conſcientiam.*** 2 Cor. 4: 2. Si igitur nobis ſit colligenda *ſoror parvula, quæ ubera non habet*, h. e. parvuli in Chriſto deſtituti doctoribus, qui eos poſſint erudire, ut fiant τέλειοι & ſapientes; quatenus *murus* eſt, h. e. quatenus eſt στηριχθεῖσα in principio & fundamento, nos & doctrinam noſtram debemus ei adjungere ut ſtructuram argenteam & inculpabilem: quatenus autem *janua* eſt, & fundamento adjungit, quod in fundamento non eſt, atque ita non στηριχθεῖσα, debemus ei *oppangere tabulam cedrinam*, h. e. demonſtrationem veritatis ex Scriptura θεοπνεύστῳ, ut conſolidetur. Cant. 8: 9.

6. *Annon conſenſus univerſalis Patrum utrinque approbatorum id præſtare poteſt?* Reſp. Etiamſi certum habeamus, hodiernos Pontificios cum vetuſtis Eccleſiæ doctoribus non conſentire in rebus maximi momenti; & tum principium, tum fundamentum à priſcis idem cum eo, quod nos tenemus, Eccleſiæ commendatum eſſe; atque etiam in multis quæſtionibus controverſis nobiſcum eos ſentire; neque reos eſſe falſi fundamenti poſiti:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

ſiti: tamen illos doctores non alio loco habemus, quàm quo diſcipulos Chriſti, atque adeò condiſcipulos noſtros: non obſtante, quòd non ſine opera ipſorum verbum Dei & catecheſis veritatis, quæ ſupereſt in mundo, pervenerit ad nos. Quanquam autem illi feliciores nobis fuerint eo, quòd nondum Antichriſtus ad ſummam impudentiam fuerit progreſſus, quum illi viverent; tamen in hoc fuerunt infeliciores, quòd etiam per illos ſive loquentes & facientes inutilia, ſive permittentes talia dici & non dicentes, quæ ad illuſtrationem Scripturæ dici poterant, habuit Antichriſtus commeatum; quodque nos vidimus multa, quæ illi non viderunt, & occaſione hæreſium & errorum variorum multa illuſtrata ſunt, quæ olim latebant, & in omnibus rebus nunc facilior eſt ad cognitionem veritatis via, quàm olim: denique quòd jam manifeſtatus eſt Antichriſtus, & caſum Babylonis aliquem vidimus, *& in errore verſantes effugimus.*

7. *Annon illi articuli ſunt ſufficientes ad ſalutem, in quibus partes diſſidentes utrinque conveniunt?* Reſp. Habent adverſarii Pontificii etiam Scripturam in manu: & ſine dubio id, quod Scriptura

dicit

dicit & docet, eſt ſufficiens ad ſalutem: ſed non ſufficit, Scripturam habere, ſi ei non velis obedire, ſed eligas hoc tantùm ſentire de ſcriptura ac ex illa dicere, quod homines juſſerint, & neges illius ſufficientiam, & cogas ad alia dicenda, quæ neque ſcripta ſunt, neque ex Scriptura demonſtrantur. Hoc enim qui facit, ei nihil prodeſt *habere* Scripturam, μόρφωσιν τῆς ἀληθείας καὶ τῆς εὐσεβείας, 2 Tim. 3:5. Rom. 2:20. Ita fides *fundamenti* ſine dubio ſalvat: ſed non ſufficit habere verba fundamenti in ore, ſi ignores, quod in fundamento præcipuum & qui nucleus eſt, *juſtitiam Dei*; & aliam juſtitiam conſtituas, & alia doceas, eaque tanquam fundamentum doceas, quæ *non ſunt ex veritate* fundamenti. Judæi etiam labio tenus confitentur *juſtitiam Dei* (quî enim poſſent id non facere; quum id vocabulum tam frequens ſit in Vet. Teſt. præcipuè in Pſalmis? ut Pſ. 143: 1. 11.) & tamen propriam juſtitiam conſtituere conati, dum legem juſtitiæ quæſiverunt, nec ad legem, juſtitiæ nec ad juſtitiam Dei pervenerunt. Rom. 9. & 10. Ita in cæteris non ſonus ſed virtus æſtimanda eſt. Per quæ rectè intellecta & credita poteſt fidelis ſalvari, per ea non ſalvatur, qui falſam illis affingit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

git ſententiam. Hoc autem facit, qui errores veritati contrarios defendit, veros ſenſus anathematizat, & aliquod non ſcriptum ad juſtitiam & ſalutem credi jubet. Qui *retinet ſermonem Dei & teſtimonium Ieſu, regnat cum Chriſto:* ſed idem *non recipit ſignaturam Beſtiæ*; imò etiam, ſi ea obtrudatur, rejicit. Qui verò ſignaturam Beſtiæ recipit, *non tenet caput*, *non fundamentum*, h.e. *teſtimonium Ieſu, non ſermonem Dei*.

8. *Annon æquum eſt coactionem conſcientiarum tolli inter Chriſtianos, ut eò placidiùs diſſidentes concilientur?* R. Nec *conſcientia* cogi poteſt, ut judicet hoc eſſe bonum & verum, quod judicat eſſe falſum & malum; nec *animus* hominis, ut amet, quod odit, aut credat, de quo dubitat, aut quod novit eſſe falſum. Sed poteſt animus violentia moveri, ut eligat dicere, quod non credit, in gratiam hominum, aut non dicere quod judicat eſſe verum; item facere, quod judicat eſſe malum, & non facere, quod judicat eſſe faciendum. *Libertas* autem *conſcientiæ* eſt hæc, quod juſtè nemo impediri poteſt, quo minus dicat, quod ſcit eſſe verum, & faciat, quod novit eſſe bonum & ſibi faciendum. Nemo autem poteſt jure

re poſtulare, ut ſibi permittatur loqui, quod falſum eſt, facere, quod malum & ſcandaloſum eſt. Imò paterfamilias tenetur venientes ad ſe & aliam doctrinam ferentes, non recipere domum; ita etiam magiſtratus, qui habet in Civitate eam poteſtatem, quam paterfamilias domi ſuæ, tenetur tales, quos NOVIT falſum velle loqui & docere, non admittere in Civitatem. *Novit* dico, non *putat*. Nam nec lex nec conſcientia obligat ad obſequendum opinioni. Hoc eſt enim temere agere.

9. *Annon per multas illas diſputationes de negocio ſalutis Chriſtiana religio plurimum eſt intricata*? & 10. *Annon ſalutare remedium eſt per conſtitutionem magiſtratus omnia ſcripta eriſtica tolli?* R. Diabolus eſt diſputator acerrimus, (omnia enim controverſiis miſcuit) & idem diſputationum culpator maximus. Nempe earum, quibus confunditur. Vera ratio diſputandi eſt, docere veritatem, & demonſtrare veritatis & falſitatis pugnam. Ita Paulus ubique diſputat. Eæ diſputationes compeſci non debent. Opus viri Dei eſt & veritatem *docere* & falſitatem *redarguere*: dummodò id fiat cum omni modeſtia & patientia, ſine exacer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

exacerbatione adverſarii & ſine ſcandalo vel verbi procacis & temerarii aut petulantis, vel animi ulceroſi.

11. *Num conſiſtere poteſt illud Theologorum effatum : non eſſe damnandum, in quo invenitur aliquid Chriſti?* Reſp. Vbi fides teſtimonii de Chriſto & amor Chriſti eſt, ibi ſine dubio eſt ſalus. Sed non poſſunt ea eſſe, ubi eſt ignoratio eorum, ſine quibus Chriſtus non eſt Chriſtus ; & fides mendacii illi præcipuæ veritati contrarii.

12. *Annon varii Pontificiorum errores ex lege charitatis Chriſtianæ tolerari poſſunt?* Reſp. Charitas Chriſtiana non vult, ut errores non redarguamus : nedum ut erroribus imperatis ſubſcribamus.

13. *Annon ſyncretiſmus cum Pontificiis omni ope quærendus eſt? quia Iudæi, Turcæ, &c. tanta diſſenſione à Chriſtiana religione deterrentur?* Reſp. Quærenda eſt omninò collectio Chriſtianorum & electorum. Sed hoc non poteſt fieri niſi per claram demonſtrationem veritatis. At cum Babylone conjunctio quærenda non eſt. quia ſic non poteſt curari: neque nos immunes ſervabimus à plagis ejus: & Babylon eſt regni Chriſti obſcuratio.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 33